



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

Liber LXXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)



HISTORIA
ECCLESIASTICA.
LIBER LXXX.



GREGORIUS IX. PAPA.
FRIDERICUS II. IMP. OCCID.
JOANNES BRIENNIUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

*Christianorum victoria in
Hispania.*

Christiani in Hispania victicia circum- **Sæcul. XIII.**
ferebant arma Maurorum diffidia **A.C. 1230.**
& labantes semper Almohadarum
vires in rem vertentes suam. **Alphon-**
Hist. Eccles. Tom. XX. **F** **fus** *Luc. Tudens.
Chr.*

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

fus Legionis Rex Emerita veteri urbe per vim potitus, relata de barbaris ingente victoria, Bagozum obsidione cinctam paucis diebus cepit; Elvamque & plura alia loca a Mauris deserta coloniis frequentavit. Ita onustus spoliis & gloria plenus cum rediisset domum, Deoque & S. Jacobo, qui cum militibus candido indutis habitu barbaros impugnans apparuisse dicebatur, gratias egisset, omnia in apparandum rursus bellum convertit consilia: sed religionis causa suscepto Compostellam versus itinere, Villænovæ Delemos in Gallæcia morbo correptus, receptis per Episcopos divinis Mysteriis mortem oppetiit 25 Septembris Æræ 1268, Christi 1230 anno, postquam quadraginta duos annos regnaverat. Compostellæ in templo S. Jacobi proxime patrem suum terræ mandatus est. Succedens ei Ferdinandus filius Castellæ Regnum, quod jam possederat, cum Legionensi iterum conjunxit.

IV. epist. 80.
ap. Rain.
1230. n. 34.

ep. 83. ibid.
n. 35.

Romanus Pontifex Gregorius IX audito armorum Christianorum felici successu, sacros Legionensis Regni milites, ut bello parta conservarent, augerentque, litteris commonuit, noxarum indulgentiam pollicitus. Etiam Gregorio Compostellæ Archiepiscopo scribens in mandatis dedit, ut Emeritæ ac Bagoxo antiquis urbibus Canonicos, Episcoposque

in

in præsens tantummodo designaret, ea conditione, ut deinceps Pontificum electio ad Collegium Canonorum ex communi jure pertineret: epistola data est 29 Octobris. Emerita prisca temporibus notissima erat ac Lusitanæ metropolis: Bagoxus, ut fert opinio, est vetus *Pax Augusta*.

Jacobus Arragoniæ Rex unum & viginti annos solum natus nuperrime Mauris Insulam Balearem Majorem eripuit. Tarracone post concilium Ilerdam profectus, ibi cum multis Aulicis suis e manu Legati Joannis Abbavillii crucem acceperat: tum conscensa numerosa classe sub initium Septembris anno 1229 delatus in Insulam, & intra quatuor menses ea potitus ultimo ejusdem anni die urbem principem intraverat. Huic bello intererant duo Episcopi, Berengarius Barcinonensis, ac Lopæus Ilerdensis: Michaël Ordinis Prædicatorum e primis S. Domini Sociis, ad pugnam præ quovis alio militibus animos per suas fervidas exhortationes addidit. A prospera expeditione Rex Cataloniam sub finem Aprilis anno 1230 repetiit.

Festo omnium Sanctorum die Populeti in Abbatia Cisterciensium prope Montem Album Dioceseos Tarraconensis, ubi Arragoniæ Reges sepeliri solebant, Senatum habens, Majoricæ Episcopatum erigen-

Sæcul. XIII.
A. C. 1230.

Ind. rer. Ar-
rag. to. 3.
His. ill. p. 75
Sup. Lib.
LXXIX.
p. 58.

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

*App. Marcæ
Hispan. n. 249.*

erigendi consilium proposuit, cui Barcinonensis Antistes & Canonorum Collegium se opponerebant, illam ad Dioccesin suam spectare causati. Nitebantur autem donatione anno 1058 facta, per quam Ali filius Mugeidæ, Dianii in Regno Valentino, & Balearium Insularum Dominus consenserat, ut omnes terrarum suarum Ecclesiæ perpetuo Diocesanos Barcinonensis essent; veteratque, ne Sacerdotes cæterique Clerici harum Ecclesiarum ab aliis Episcopis Sacros Ordines, & Sanctum Chrisma peterent. Hinc constat, tunc etiamnum Musulmanos in magnum Christianorum numerum dominatos esse. Illam donationem plures Episcopi & Sancta Sedes confirmaverant.

*to. 7. Spicil.
p. 211.*

Nihilominus in Comitibus Populeten- sibus Berengarius cum Canonicis suis considerans, ab urbe ac Regno illo Sacrorum Præsulem posci, Regemque novam Ecclesiam liberaliter dotare velle, assensit, ut Majoricæ Sedes Episcopi constitueretur, quem in præsens Jacobus, deinceps vero Antistes ac Canonici Barcinonenses si fieri possit, ex Ecclesia sua, si non e Majoricensi vel alia bona Regis Arragoniæ venia eligerent; idemque observaretur, si Minorica vel Ebusus Ecclesiam Cathedralem acciperent. Ita transcriptum est Populeti 6 Novembris anno 1230. Igitur Rex misit, qui ejus nomi-

ne

ne Summum Pontificem oraret, ut Majoricæ Sedem Episcopalem erigeret. Reposuit ille: *Ecclesia Cathedralis magnifice dotanda est, ut Antistes & Canonici honorificos fructus annuos percipiant, cum alioquin illius dignitas in contemptum veniret. De tua vero in Ecclesiam Majoricensem liberalitate nihil dum vidimus. Quare precum tuarum effectum distulimus.* Dabat epistolam 20 Decembris anno 1230. Attamen post annos septem annuit.

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

§. II.

Equites Teutonici in Borussia.

Christiana Religio etiam in Septentriones se extendebat, ejus promulgationem juvantibus armis. Christianus e monacho Cisterciensi Borussiae Episcopus cum aliquot fratribus Prædicatoribus barbaros ad Christi castra traducere conatur. Postquam Borussi ethnici per aliquod tempus cum novis Christi cultoribus pacem servaverant, in Masovia, cui Dux Conradus imperabat, cruento eos bello petebant, & illo primos hostium impetus non retundente, progressi longius, ingentem Poloniae vastitatem inferebant. Incensæ domus, necati viri, imbellis ætas, sexusque in servitutem abstracti. Ducentæ quinquaginta paræciæ flammis consumptæ præter facella & coenobia

V. Sup. lib.
LXXVII.

§. 19.
LXXIX.

§. 6.

Chr. Pruss.

par. 2 c. 1. 2. 3

p. 28. &c.

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

tam Religiosorum, quam Virginum. Sacerdotes & Clerici ad ipsas aras trucidati, divina mysteria calcata pedibus, vasa sacra profanos ad usus adhibita sunt.

c. 4.

Dux Conradus hos barbaros muneribus placare frustra conatus, suadente Episcopo, cui nomen Christiani fuisse diximus, exemplo Equitum Christi in Livonia, Ordinem Militarem, qui pallium album gladio rubro & stella insignitum portaret, instituit. Hoc amictu Episcopus Brunonem virum meritis clarum ac tredecim alios induit, quibus arcem Dobrinum Dux condidit, & inde nomen dedit. Convenerat inter eum ac Equites, ut æquam facerent partitionem eorum, quæ bello barbaris eriperent. Qui re comperta magno numero venerunt Dobrinum, & tam arcta obsidione clausere, ut vix quisquam novorum Equitum foris se monstrare auderet.

c. 5.

Itaque hoc subsidium esse nimis debile videns Conradus, Equites Ordinis Teutonici fortitudine, potentia, & opibus celeberrimos advocare statuit, & hoc consilium cum quibusdam Episcopis & regionis suæ Nobilibus viris communicavit; quod una omnes voce probabant, addebantque, Equites Teutonicos Summo Pontifici, Imperatori, ac Germaniæ Principibus esse acceptissimos: sperandumque, in eorum gratiam Romanum Ponti-

Pontificem sacros milites Borussiae auxilio missurum esse. Ergo Conradus solemnem legationem ad Hermannum Salezarium Ordinis Teutonici tunc Magistrum adornavit. Qui post plures deliberationes ex consilio Gregorii Papae, ac Imperatoris Friderici Ducem Masoviae voti damnavit: & publicae litterae consensus Caesarei datae sunt anno 1226. Igitur Eques Conradus Landsbergius ab Hermanno Salezario in Masoviam missus, ibi publicas accepit tabulas, per quas Dux Conradus Fratribus Ordinis Teutonici omnem agrum Culmensem pleno semper jure possidendum, omnesque terras, quas barbaris adimere possent, addixit. Huic donationi eodem anno 1226 factae Guntherus Masoviae, Michael Cujaviae, Christianus Borussiae Episcopi subscripsere. Talis fuit Equitum Teutonicorum in Borussia institutio, quae magni momenti effectus habuit. Papa, ut illis belli cum ethnicis gerendi suppetias procuraret, ad univ[er]sos Magdeburgi, Bremæ, Poloniae, Pomeraniae, Moraviae, Holfatiae, Gothiae Christianos scripsit, eos ad arma ductu Equitum Teutonicorum Borussiae ethnicis inferenda exhortans. Litterae datae sunt 13 Septembris anno 1230. Eodem tempore scripsit etiam Fratribus Prædicatoribus, quos ad hanc sacram expeditionem animat, & Duci Masoviae, quem

Sæcul. XIII.
A. C. 1230.

not. ad c. 5.

ap. Rain.
1230. n. 25.

IV. epist. 61.
62. 63. ap.
Rain. n. 23.

24.

Sæcul. XIII.
A.C. 1230.

laudat, quod suas in terras eos acci-
verit.

§. III.

Universitas Parisiensis instaurata.

Sup. Lib.
LXXIX.
F. 54.

Douboulai
to. 3. p. 138.

III. epist. 88.
89. 95. ap.
Rain. 1229.
n. 52.
Dubulai
p. 135. 136.

Scholæ Parisienses manebant desertæ: Magistri & auditores in varia dispersa loca, nisi satis sibi factum esset, non se redituros juraverant. Fratres Prædicatores occasione utendum rati, Episcopo Guilielmo, ac Ecclesiæ Parisiensis Cellario consentientibus, cathedram Theologicam domi suæ erexerunt: ad quod haud parum contulit existimatio, quam Jordanus Ordinis Præpositus Generalis collegerat, & magnus docentium, discipulorumque, qui hunc ordinem ingressi fuerant, numerus: hi enim Magistri mutatis vestibus docendi munus suspenderant potius, quam abdicaverant. Ut primum Gregorius Papa perturbationem Parisiis factam, & studiosorum discessum audiit, ut malis remedia afferrentur, illo jubente Episcopi duo Cenomanensis, ac Silvanensensis, & Archidiaconus Catalaunensis inter Regem ac Universitatem sua bona officia interposuere, ita ut hæc pro factis sibi injuriis & insultationibus satisfactionem acciperet, ac revocata Lutetiam libertate sibi a Philippo Augusto concessa frueretur. Epistolam Papa dederat 24 Novembris anno 1229. Episcopus Cenoma-

nomanensis erat Mauritius, quem anno Sæcul. XIII.
1231 Papa ad Archiepiscopatum Rotho- A. C. 1230.
magensem transtulit: Episcopus Silva-
nectensis fuit etiamnum Guerinus Philip-
pi Augusti consiliorum arbiter, 19 Aprilis
anno 1230 mortuus.

Sub idem tempus Papa Regi Ludovi-
co, ac Reginae Blancae ejus matri episto-
lam scripsit, cujus hoc erat initium: Re-
gnum Francicum jam diu excellit tribus
virtutibus, quæ Sanctissimæ Trinitatis
Personis peculiari quodam modo tribuun-
tur, potentia nimirum, sapientia, & bo-
nitate. Francia est potens per fortitu-
dinem virorum nobilium, sapiens per eru-
ditionem Cleri, & bona per clementiam
Principum. Verumtamen si harum qua-
litarum extremæ carent media, in vitia
degenerant: nam sine sapientia poten-
tia fit insolens, & bonitas imbecillis. Con-
cluserit Papa Regem ac Reginam adhor-
tando, ut tribus curatoribus, quos nomi-
nasset, benignas præberent aures, eo-
rumque consilia celeriter executioni da-
rent: *Ne videamini, addit, rejecisse sapien-* Duboulaiz
tiam & bonitatem, sine quibus potentia du- p. 136.
rare nequit; & cum non sumus ferendo, hanc
Regno vestro gloriam demum, alia ratione ei
consulere cogamur. Scripsit etiam Gui-
lielmo ex Arvernia Episcopo Parisiensi,
acriter eum reprehendens, quod discor-
diam foveret. Is enim erat, de quo præ-
cipue

Sæcul. XIII.
A. C. 1230.
cipue Doctores Parisienses Papæ conquesti fuerant, quod ipsos cum protegere deberet, dereliquisset. Revera Episcopus, Cancellarius, & Canonici Parisienses ægre ferebant limites, quos Universitas eorum jurisdictioni volebat ponere, illamque alium in locum transferri cupiebant: etiam ejusdem instaurationi diu se opposuere.

IV. epist. 19.
apud Rain.
1229. n. 55.
Summus Pontifex rem non procedere videns, anno sequente 1230 Doctoribus Parisiensibus scripsit, ut quosdam e gremio suo ad ipsum mitterent, efficacem negotio diligentiam adhibituros. Interea Cardinalis Legatus Romanus, ac Episcopus Parisiensis in absentes edicta pœnas sacras curabant: & Archiepiscopus Senonensis in concilio provinciali sanxit, ut ii, qui abiissent, ex vi sui iurandi per biennium beneficiorum suorum fructibus privarentur; & qui non haberent aliquod, indigni, ut obtineant, declararentur, nisi intra præfixum tempus redirent. Rex quoque edicta contra illos edidit. Doctores, quos Universitas Papæ poscenti misit, erant Godefridus Pictaviensis, & Guilielmus Antisiodorensis, qui ab eo petebant præscriptum, sibi restitutis pro lege & cautione adversus ejusmodi incommoda servitutum. Tam bene rem gesserunt, ut a Papa Gregorio constitutiones acciperent ad Doctores
audi-

auditoresque Parisienses destinatas, & ^{Sæcul. XIII.}
 13 Aprilis anno 1231 scriptas, quæ sic A.C. 1231.
 inchoantur:

Lutetia scientiarum mater est veluti Carthageph urbs litterarum; est officina, in qua sapientia elaborat metalla e venis suis eruta, aurum & argentum, unde Ecclesie ornamenta conficit, ferrum, e quo arma fabricatur sua. Ad rem veniens Papa hæc dat præcepta: Circa statum scholarium & scholarum hæc statuimus observanda, videlicet quod quilibet Cancellarius Parisiensis deinceps creandus coram Episcopo, vel de ipsius mandato in Capitulo Parisiensi vocatis ad hoc & præsentibus pro Universitate scholarium duobus Magistris in sua institutione iurabit, quod ad regimen Theologie ac Decretorum bona fide secundum conscientiam suam, loco & tempore, secundum statuta civitatis, & honorem ac honestatem facultatum ipsarum non nisi dignis licentiam largietur, nec admittet indignos, personarum & nationum acceptione submota. Antea vero quam quemquam licentiet infra tres menses a tempore petite licentie, tam ab omnibus Magistris Theologie in civitate præsentibus, quam aliis viris honestis & litteratis, per quos veritas sciri possit, de vita, scientia, & facundia; nec non proposito & spe proficiendi, ac aliis, quæ sunt in talibus requirenda, diligenter inquirat: & inquisitione sic facta, quid deceat, & quid expediat, bona

Secul. XIII. *bona fide det vel neget secundum conscientiam*
A.C. 1231. *suam petenti licentiam postulatam. Magi-*
stri vero Theologiæ ac Decretorum, quando
incipient legere, præstabunt publice juramen-
tum, quod super præmissis fidele testimonium
perhibebunt. Cancellarius quoque jurabit,
quod consilia Magistrorum in malum eorum
nullatenus revelabit, Parisiensibus Canonici
libertate ac jure in incipiendo habitis in sua
manentibus firmitate. De physicis autem &
artificis ac aliis Cancellarius bona fide pro-
mittet examinare Magistros, & non nisi di-
gnos admittens, repellat indignos. Cæterum
quia ubi non est ordo, facile reperit horror,
constitutiones seu ordinationes providas fa-
ciendi de modo & hora legendi & disputan-
di, de habitu ordinato, de mortuorum exe-
quiis, nec non de bacchellariis, qui & qua ho-
ra, & quid legere debeant, ac hospitiorum
taxatione, seu etiam interdicto, & rebelles
ipsis constitutionibus seu ordinationibus per
subtractionem societatis congrue castigandi
vobis concedimus facultatem. Et si forte
vobis subtrahatur hospitiorum taxatio, aut
quod absit, vobis vel alicui vestrum injuria
vel excessus inferatur enormis, utpote mor-
tis vel membri mutilationis, nisi congrua mo-
nitio præmissa infra quindecim dies fuerit
satisfactum, liceat vobis usque ad satisfactio-
nem condignam suspendere lectiones. Et si
aliquem vestrum indebite incarcerari contige-
rit, fas sit vobis, nisi monitione præhabita
cesset

cesset injuria, statim a lectione cessare, si ta-
men id videbitis expedire.

Sæcul XIII.
A.C. 1231.

Præcipimus autem, ut Parisiensis Epi-
scopus sic delinquentium castiget excessus, quod
scholarium servetur honestas, & maleficia
non remaneant impunita: sed occasione de-
linquentium non capiantur ullatenus innocen-
tes: immo si contra quemquam suspicio fue-
rit orta probabilis, honeste detentus, idonea
cautione præstita, cessantibus carcerariorum
exactionibus dimittatur. Quodsi forte ta-
le crimen commiserit, quod incarceratione
sit opus, Episcopus in carcere culpabilem de-
tinebit, cancellario habere proprium carce-
rem penitus interdicto. Prohibemus insu-
per, ne scholaris pro contracto debito de cæ-
tero capiatur, cum hoc sit canonicis & legi-
timis sanctionibus interdictum. Sed nec E-
piscopus vel officiales ejus seu Cancellarius
pœnam pecuniarum pro excommunicationis
emenda, vel alia qualibet censura requiret:
nec Cancellarius a licentiandis Magistris ju-
ramentum, vel obedientiam seu aliam exiget
cautionem, nec aliquod emolumentum seu pro-
missionem recipiet pro licentia concedenda,
juramento superius nominato contentus. Por-
ro vacationes æstivæ non excedantur de
cætero ultra mensem, sed vacationum tempo-
re bacchellarii, si voluerint, suas continuent
lectiones. Inhibemus autem expressius, ut
scholares per civitatem armati non vadant,
& turbatores pacis & studii Universitas non
desen-

Sæcul. XIII. defendat, & illi, qui simulant se scholares, nec
A.C. 1231. tamen scholas frequentant, nec Magistrum a-
 liquem profitentur, nequaquam scholarium
 gaudeant libertate.

Sup. Lib.
LXXVII.
§. 39.
Launoi
Arist. fort.
c. 6.

Ad hæc jubemus, ut Magistri artium u-
 nam lectionem de Prisciano (pro Gramma-
 tica) & unum post alium ordinarie semper
 legant, & libris illis naturalibus, qui in con-
 cilio provinciali ex certa causa prohibiti fue-
 re, Parisiis non utantur, quousque examina-
 ti fuerint, & ab omni errorum suspitione
 purgati. Sunt Aristotelis libri physico-
 rum generatim vetiti per præscriptum
 anno 1215 a Legato Roberto Cursonio,
 & in concilio quidem, ut hic docemur,
 factum. Papa vero per hanc bullam, ut
 vocant, inhibitionem Legati mitigat.

II. ep. 25. ap.
Rain. 1228.
n. 29.

Verumtamen tres abhinc annos Gre-
 gorius Papa Doctoribus Parisiensibus per
 litteras exprobraverat, quod eorum aliqui
 vanitate inflati profanas novitates intro-
 ducerent, & sacras litteras, quæ secun-
 dum traditionem Patrum essent explican-
 dæ, ad physicam Philosophorum doctri-
 nam converterent. Hanc mundanam
 scientiam rejicere, ac Theologiam puram
 docere, nec per inventa philosophica ver-
 bum Dei mutare eos jubet. Epistola
 data est 7 Julii anno 1228. Convenien-
 ter huic inhibitioni in Constitutionibus
 anno 1231 factis ita pergit: *Magistri ve-*
ro & scholares Theologiæ in facultate, quam
pro-

*profitentur, se studeant laudabiliter exercere; Sæcul. XIII.
nec philosophos se ostentent, sed satagant fie- A.C.1231.
ri Theodocti: de illis tantum quæstionibus in
scholis disputent, quæ per libros Theologi-
cos, & Sanctorum Patrum tractatus valeant
terminari. Decernit deinde, quid facien-
dum esset bonis studiosorum, qui Parisiis
absque testamento mortem obiissent, &
indicat cautiones necessarias, ut eorum
hæredibus serventur & tradantur: quod
si nullus compareat, ad pia opera impen-
dantur. Denique Doctores & auditores
religione jurisjurandi solvit, quo se Lute-
tiam non redituros affirmaverant.*

Hinc etiam adolescenti Regi Ludovi- *Duboulati*
co scripsit epistolam, in qua dicit: *Honori* *p. 143.*
*salutique tuæ consules, si litterarum studia
Parisiis in statum pristinum restitues, &
constitutionum nostrarum executionem tibi
commendatam habebis. Igitur a te peti-
mus, ut studiosos exemplo Majorum tuo-
rum protegas, & privilegia a Rege Phi-
lippo gloriosæ memoriæ avo tuo illis con-
cessa observari cures. Habitationes a duo-
bus Doctoribus totidemque civibus æstima-
ri jube, ne studiosi eas nimium caro con-
ducere cogantur. Epistola data est 14 A-p. 145.
prilis, quam secuta fuit altera, qua Papa
Regi commendat Godefridum Pictavien-
sem, & Guilielmum Antisiodorenses, qui
Romæ universitatis causam egerant, ve-
rebanturque, ne Parisios reversi apud Re-
gem*

Sæcul. XIII. gem carbone notarentur. Similes litte-
A.C. 1231. ras ad Reginam ejus matrem misit.

§. IV.

Concilium Castri Gontherii.

to. XI. p. 384 Eodem anno 1231 Juhel Meduanensis
 Turonum Archiepiscopus cum Epi-
 scopis sibi obnoxiiis Castri Gontherii in Du-
 catu Andegavensi concilium provinciale
 tenuit. Habemus ex illo triginta septem
 Canones, e quibus eos, quos majoris esse
 momenti puto, subjicio. Matrimonia
 clandestina declarabuntur esse nulla, quæ
 avertendi gratia inhibetur, ne contrahan-
 tur per verba de præsentis, nisi denun-
 ciationes in Ecclesia more solito præmit-
 tantur. Archipresbyteri vel Decani ru-
 rales non arrogabunt sibi jurisdictionem
 in causas matrimonii: & Archidiaconi,
 Archipresbyteri, alique jurisdictionem
 habentes, extra civitatem Episcopalem
 Officiales non habebunt, sed in personis
 propriis officium explebunt suum. Hic
 videre licet, quam multiplicata fuerint
 tribunalia ecclesiastica: & ex juramentis,
 quæ Judicibus, & advocatis injungun-
 tur, apparet, quanta tunc judiciorum
 corruptio fuerit. Prohibetur, ne laici ac-
 tiones suas Clericis cedant, ad jurisdic-
 tionem ecclesiasticam transferendas.

Recto-

Rectores seu Parochi a Patronis præ-
 sentati jurabunt, se nihil dedisse vel pro-
 misisse curam animarum consequendi
 causa; & postquam Episcopus eam ipsis
 contulerit, jurabunt iterum se illis gestu-
 ros morem, & Ecclesiæ jura defensuros.
 Patronus, qui præsentaverit illiteratum,
 in præsens seu illa vice jure suo carebit.
 Non committetur Ecclesia præterquam
 loci linguam intelligenti, loquentique:
 hæc regula pertinet ad Britanniam infe-
 riorem, ubi populus linguam sibi peculia-
 rem etiamnum servat. In Ecclesia Ca-
 thedrali deinceps non instituetur Cano-
 nicus ad primum sacerdotium vacuum.
 Clerici dissoluti, maxime qui Goliardi, seu
 joculatores vocantur, jussu Præsulum
 prorsus radentur, ita ut Clericalis tonsu-
 ra non conspiciatur amplius. Cruce si-
 gnati homicidii vel alius atrocis criminis
 convicti signo crucis ac suis privilegiis
 per Judicem Ecclesiasticum exuentur.
 Plures ibi Canones dantur contra disci-
 plinæ remissionem, cui monachi assuesce-
 bant. Vetatur inter alia, ne sint solita-
 rii, hoc est, ne soli vivant in prioratibus,
 qui conventuales esse desierant.

§. V.

S. Guilielmus Pinchonijs.

Provinciam Turonensem tunc illustra-
 bat eximie virtutis Præsul, Gui-
 lielmus Pinchonijs.

Hist. Eccles. Tom. XX,

G

liel-Jul.

Sæcul. XIII.

A. C. 1231.

c. 3.

c. 15.

c. 16.

c. 7.

c. 21.

c. 22.

c. 24. 25. 26.

27. 28. 29.

Sæcul. XIII.
A.C. 1231.

Lobin hist.
Ber. to. 2.
p. 359.

lielmus Pinchonus Episcopus Briocensis. Is nobili natus genere jam anno 1223 hanc sedem occupabat. Quamvis venusta oris specie, ac in hominum societate suavissimi sermonis esset, castimoniam tamen singulari semper studio, & virginitatem inter periculosa duo experimenta, quibus expositus erat, coluit. Stipem largissime dabat, & anno quodam, cum difficultas annonæ ingravesceret, omne frumentum suum elargitus, quod Canonicorum erat, mutuam sumpsit, ut inopes ad messis tempus usque reficeret. Præter statas preces canonicas psalterium recitabat quotidie, ac pœnis sponte susceptis corpus atterens, cum dignitati suæ convenientem haberet lectum, sæpe humi cubabat.

Durante bello Gallos inter ac Britones, cum Briocum oppugnaretur, Vir Sanctus per vicos urbis circumiens consolabatur incolas, & direptionem averfurus in medios sæpe hostes, ac præfens vitæ periculum se conjiciebat. Interdum urgente Clero fures, aliosque reos, ne timidus ac negligens videretur, a piorum cætu sejungere compulsus se ratus, id summo cum dolore, nec sine multis lachrymis fecit. Nobilium Britanniarum virorum contra Ecclesiæ jura & libertatem molitionibus tanta se constantia opposuit, ut e provincia excedere coactus, ad

ad Episcopum Pictaviensem præ continua corporis infirmitate functionibus suis exercendis imparem se reciperet, cujus vicarium seu potius suffraganeum per aliquot annos agens sacros Ordines contulit, templa dedicavit, consecravit altaria, confirmationis oleo inunxit, cunctaque Episcopi munia sic implevit, ut omnium existimationem amoremque sibi conciliaret. Mutata tempestate in Dicecesin reversus suam, extremum vitæ spiritum edidit 29 Julii anno 1234.

Sæcul. XIII.

A. C. 1231.

Lobin. to. 1.

p. 234. to. 2.

p. 34.

§. VI.

Continuatio pacis inter Papam & Cæsarem.

Interea Papa Gregorius Imperatori Frederico instabat, ut pacis anno priore cum ipso initæ conditiones servaret, ac primo quidem eam a pluribus Italicis urbibus, & Germaniæ, Italiæque principibus viris, qui sponsonem facerent, jurejurando firmandam curaret. Scripsit hac super re Episcopo Ratisbonensi, Cæsaris Cancellario, & ipsimet Cæsari, octo jam menses elapsos, nec tamen pactiones executioni datas esse memorans. Orabat etiam, ut in gratiam reciperet Equites Templarios, & Hospitalarios, eisque ablata redderet bona, ne Siculos Ecclesiæ partes secutos in Syriam velut in

V. epist. 38.

apud. Rain.

1231. n. 1.

ep. 82.

IV. ep. 114.

V. ep. 76.

G 2

exi-ep. 2.

Sæcul. XIII. exilium mitteret; ne Longobardos male
A. C. 1231. haberet. Sed & hos admonuit, ut Im-
 peratori se submitterent, nec comitiis,
 quæ apud ipsos habere vellet, aut ejus
 filio Italiam transeunti obstarent. Pro
 ipso Rainaldo Conradi Spoletani Ducis
 filio, etsi Friderico in terram sanctam pro-
 fecto, Ecclesiæ Romanæ multum mali
 intulisset, suas apud Imperatorem preces
 interposuit.

ep. 80. 93. 95.

Sup. Lib.
LXXIX.

S. 43.

Papa per Cæsarem, & recta per litte-
 ras Patriarchæ Hierosolymitani eorum-
 que, qui Templariis, ac Hospitalariis E-
 quitibus præerant, edoctus fuerat, Palæ-
 stinæ minitari Regem Persarum innume-
 ris instructum copiis. Debebat is esse se-
 cundus Mogolicorum vel Tartarorum
 Can, Octai filius; & Ginguis Cani succes-
 sor, qui bellicos progressus suos urgens
 terrorem totam per Asiam spargebat.
 Hæc tristia nova universos ad Præsules
 scribens Gregorius, cruce signatos, cæ-
 terosque Christianos ipsis subjectos ani-
 mari voluit, ut ad sacram expeditionem
 Palæstinam tuendi gratia, & ad viam
 post alterum nuncium ineundam sese ac-
 cingerent. Epistola fuit data 28 Febr.
 an. 1231.

IV. ep. 129.
apud. Rain.
n. 53.

Mors S. Antonii Patavini.

Postquam Gregorius Papa Eliam Fratrum Minorum Ministrum Generalem a S. Antonio Patavino accusatum exauthoraverat, hunc, ut se litteris totum daret, admonitum eo fine ab omni Ordinis munere exemit, ut penes se maneret, orans. Verum Antonius honores & Aulæ Romanæ tumultum veritus, montem Alvernum petiit, ubi bona Pæ cum venia per aliquod tempus mansit. Persequamur modo ejus vitam reliquam a primo secessu in eremum montis S. Pauli prope Bononiam.

Cum ibi diu hæssisset, sacris Ordinibus initiandus cum aliis Forum Livium in Æmilia seu Romaniola situm mittitur, ubi etiam Fratres aliquot Prædicatores aderant. Omnibus hora colloquii congregatis, loci Minister, ut Fratrum Prædicatorum aliquis exhortationem haberet, oravit. Sed cuncti se non esse ad eam præparatos causabantur. Ergo Antonium, cujus scientiam quidem ignorabat, ad dicendum, quæ Spiritus Sanctus ipsi suggereret, animavit. Ille se lavandis in culina scutellis, quam verbis ex suggestu faciendis aptiorem esse reposuit. Superioris tamen mandato parens cæ-

Sup. Lib.
LXXIX.

§. 62.

*Vita ap.**Bol. 13. Jun.*
*to. 20. p. 711.**Sup. Lib.**LXXVIII.*

§. 42.

*Bol. c. 2.**p. 707.*

Sæcul. XIII.
A. C. 1231.

pit dicere, & tam egregium doctrinæ simul ac elegantiae specimen edidit, ut auditores rei novitate suaviter capti, an eruditionem ejus, aut vero demissionem magis mirarentur, nescirent. Quo comperto Fratrum Minorum Minister Generalis, seu is etiamnum S. Franciscus, seu frater Elias fuerit, Antonium sacram ad eloquentiam se applicare jussit.

Rara in dicendo libertate utens, folius veritatis ratione habita, summis perinde ac infimis loquebatur; prout jam inde ab Ordinis ingressu sanguinem pro Christo fundendi desiderium conceperat, nullo timore, nulla verecundia noxia se impediri passus, quin Optimatum tyrannidi generoso oblisteret animo. Hinc celeberrimos concionatores tanta consternatione affecit, ut, sermonibus ejus præsentibus, nequis ipsos imbecillitatem suam erubescere videret, suos vultus tegerent. Sic comparatus, cum per urbes pagosque iret, ad captum audientium allocutiones suas accommodabat, severitatem dulcedine miscens. Papa ipse, postquam eum audierat, eximiam in exponendis sacris litteris viri dexteritatem admirans, Arcam foederis illum vocavit. Nec ethicæ duntaxat, verum etiam polemicæ contra hæreticos se impendit Antonius, quorum multos Arimini ad catholica signa traduxit, multos in
publi-

n. 709.

publicis disputationibus Mediolani ac To-
losæ, herbam porrigere coëgit.

Sæcul. XIII.

A. C. 1231.

Lingua Italica etiam ad pronuncia-
tionem quod attinet, quamquam extra-
neus, politissime loquebatur: & in con-
fertissima ad conciones ejus confluen-
tium turba singularis omnium modestia
& attentio fuit. Ejus eloquium erat ar-
dens, movens, penetrans, efficax: audi-
tores in lachrymas soluti feriebant pe-
ctora, alique aliis dicebant: *Heu! nun-
quam credidi, hoc esse peccatum*: Adhor-
tabantur se mutuo ad expiationem noxa-
rum, ad jejunium, ad sacras peregrina-
tiones, ac exinde sodalitia flagellantium
in Italia & alibi tam frequentia ab ejus
fermonibus ortum duxisse dicuntur. Do-
cuit in pluribus Ordinis sui cœnobiis, in
quibus studiorum æmulationem excita-
vit: nam hæctenus Fratres Minores tan-
quam rudes multis despiciantur erant. E-
tiam in regiminis partem vocatus, per
aliquot annos Romaniolæ Minister Pro-
vincialis, plurium diversis in regionibus
monasteriorum conditor, & Puiisii in Ve-
launis, ac Lemovici Guardianus, ut a-
junt, fuit.

p. 710.

At per Summum Pontificem ac ge-
neralia Ordinis comitia anno 1230 cele-
brata ab omni regiminis onere liber, &
divini verbi sementem, ubi vellet, spar-
gendi copiam nactus, Patavium venit;

p. 712. c. 3.

G 4

ubi

Sæcul. XIII.
A. C. 1231.

ubi transacta hyeme per verni jejunii tempus anno 1231 quot diebus & sacrum tribunal adiit, & ad populum dixit, cujus frequentiam nullum templum, sed apertus solum campus capiebat. Eo cum Clericis, ac Religiosis, & ipso Episcopo Patavium totum se conferebat quotidie, clausis usque ad reditum a concione mercatorum tabernis: eo oppidorum, pagorumque vicinorum incolæ noctu cum facibus, ut locum acciperent, concurrerant: ibi ad tricies mille homines aderant, tam attenti omnes, ut vix susurrus aliquis audiretur. Finito sermone, quisque venerationis causa tangere virum sanctum, aut de veste illius particulam rescindere conabatur, ita ut abeuntem, redeuntemque, ne obrueretur, robustorum juvenum globus stiparet. Concionum effectus omnium patebant oculis: inimici capitales redeuntes in gratiam, captivi a diutino carceris squalore liberati, usuræ redditæ, debita remissa, meretrices ad frugem revocatæ, omne vitiosorum genus ad pœnitentiam adductum tam assidue, ut confitentium numero Sacerdotes haud sufficerent. Antonius ipse quam infirma semper valetudine nullam sibi quietem indulgens tum de rebus divinis disserere, tum sacras audire confessiones solebat, tum consilia dare petentibus, ac ea sequi paratissimis.

Tempus

Tempus messis imminere videns, Sæcul. XIII. A. C. 1231.
 quamdiu populus ea occuparetur, con-
 ciones sibi suas intermittendas censuit,
 & profanorum hominum crebro ad salu-
 tationem venientium molestia fatigatus,
 relicto Patavio solitarium in vicinia lo-
 cum (Campetrum appellabant) adiit,
 cujus Dominus Tisonius nomine, ei se in
 disciplinam tradidit, regulam tertii Or-
 dinis S. Francisci amplexus. Hoc in se-
 cessu Antonius se totum meditationi re-
 rum cœlestium & sacris precibus impen-
 dens, violento morbo, e quo haud conva-
 lesceret, se subito correptum sensit. Pa-
 tavium reportatus, cum extremæ un-
 ctionis oleum sibi afferri cerneret, *hanc*
unctionem, ajebat, jam intus habeo: sed
eam mihi dare non omittite: salubris est
mihi. Cantavit dein cum fratribus pœ-
 nitentiæ psalmos, in mortis articulo dici
 solitos, & post dimidiam horam spiritum
 Deo reddidit die sexta hebdomadis, 30 Bol. p. 732.
 Junii anno 1231. triginta sex annos na- n. 37.
 tus, quorum decem in Ordine Fratrum p. 717.
 Minorum transegerat. Illustris ejus fa-
 ma & miracula quotidie ad ejusdem se-
 pulchrum facta Gregorium Papam per-
 movere, ut post legitimas inquisitiones
 intra unius anni spatium Spoleti die Pen-
 tecostes 30 Maji anno 1232 eum solenni
 ritu in album Sanctorum Cœlitum refer-

G 5 ret,

Sæcul. XIII. ret, ac diem, quo mortem obiit, festæ il-
 A.C. 1231. lius memoriæ consecraret.

Martyr.
 13. Jun.

Edit. 1641.
 P. 114.

Multum S. Antonii scripta habemus, & inter alia magnum sermonum numerum. Sed illam vim & facundiam, quam vitæ scriptor eis tribuit, haud quaquam continent, utpote contexti ex meris Scripturæ locis, qui in sensibus figuratis sæpe a sensu litterario alienissimis accipiuntur, & quod consequitur, nihil demonstrant. Nullas ratiocinationes inter se coherentes, nullos ibi motus videmus: peroratio non magis quam exordium tangit animos. En exemplum! Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ. Hic res quatuor sunt considerandæ. Primo lætitia & unio nuptialis: secundo præsentia Virginis: tertio potentia J. C. quarto ejus magnificentia. Quantum ad primum punctum attinet, Cana significat zelum & Galilæa transitum: per zelum & amorem transitus fiunt nuptiæ inter Spiritum Sanctum & animam poenitentem. Hinc de Ruth dicitur, quod e regione Moab transierit Bethlehem, ubi Booz eam sibi despondit. Ruth indicat videntem, aut solertem, aut deficientem, estque anima, quæ peccata sua dolenter videns, ea sacræ confessionis fonte eluere properat, & per satisfactionem vires amittit suas. Sermo reliquus & alii omnes eodem sunt scripti stylo.

Cum

Cum sint latini, & Sanctum in fugge-
 ftu lingua vulgari ufum fuiffe liqueat, cre-
 dibile eft, id quod nobis reftat, folam il-
 lorum materiam efle, & hanc eum am-
 plificaffe descendendo ad fingularia pro
 ratione locorum ac perfonarum, motus-
 que vehementes adjungendo, prout ar-
 dor eum fuus jubebat. Exiftimandum
 quoque merito, eloquentiam corporis,
 nempe vocem ac geftum multum ad per-
 fuafionem contuliffe. Cætera ejus ope-
 ra funt explicationes myfticæ plerorum-
 que Scripturæ librorum, & quidam in-
 dex feu concordantia moralis, ubi sub
 certis titulis recenset locos cuius morum
 generi convenientes: & hoc opus ex o-
 mnibus illius fcriptis utiliffimum forfi-
 tan eft.

§. VIII.

Martyres in Hispania.

Eodem anno 1231 duo Fratres Minores *Vanding.*
 Joannes facerdos ac Petrus laicus in 1228. n.68.
 Hispania martyrium fubiere. Cum cir-
 citer annum 1220 Cæfaraugufta Valen-
 tiam Evangelii doctrinam Mauris pro-
 mulgatum ire cogitaffent, & in oppidum
 Tervelum delati, fe incolis acceptiffimos
 efle vidiffent duobus tuguriis prope tem-
 plum S. Bartholomæi extructis, decem
 ibi annos permanferant. Tum profecti
 Valen-

Sæcul. XIII.
A. C. 1231.

Valentiam, ibique in templo S. Sepulchri abditum cum duobus Dominis Castellanis Blasio & Artaldo Alagorico ipsorum probitate captis amicitiam contraxere. Cum Christianam Religionem exponerent, ducti ad Regem Zeit-abu-Zeit, cur venissent, interroganti, *ideo*, respondebant, *ut te ac populum ex errorum tenebris ad lucem veritatis evocarem.* At ille eos ad cultum Deorum transire constanter recusantes in ipso horto, per quem deambulabat, capite plecti iussit. Qui mox in genua provoluti orabant Deum, ut pro beneficio, quod Princeps iis præstaret, hunc a vanis superstitionibus ad sanam fidem aliquando traduceret. Obtruncati sunt die festo Decollationis S. Joannis Baptistæ 29 Augusti an. 1231.

§. IX.

Diplomata Pontificia in gratiam Fratrum mendicantium.

C. Nimis iniqua 16. De excuff. præl. Ingens progressus, quem novi duo Ordines Fratrum Prædicatorum Minorumque faciebant, invidiam eis confluxit apud multos Episcopos aliosque Superiores ecclesiasticos; qui etsi eorum regulæ a Sancta Sede approbatæ fuerint, eos sibi prorsus subjicere, quod populorum pietas eis tribuebat, in rem suam vertere, & ad varia tum præstanda, tum omit-
tenda

tenda eos adigere conabantur. *Nostrum* Sæcul. XIII.
A.C. 1231.
est, aiebant ad eos, vestras in sacro tribu-
nali confessiones audire, vobis pœnas im-
ponere, cœlestemque hostiam præbere, nec
in illis, quæ precibus dicastis, locis seu o-
ratoriis divinum hoc mysterium asservabi-
tis. Jubemus, ut in Ecclesiis nostris ter-
ræ mandemini, ibique res divina pro vo-
bis conficiatur; & si quis vestrum alibi
suum sibi sepulchrum elegerit, cadaver ejus
in parœciam primum deferatur, ut dona-
ria nobis obtingant. Nec æs campanum,
nec cœmeterium benedictum habebitis, nec
augustiore ritu sacrificium, præterquam
certo tempore perpetrabitis. Certus item
in vestris domibus Sacerdotum, Clerico-
rum, laicorumque fratrum numerus, cer-
taque & a nobis præscripta cereorum, lam-
padum, & ornamentorum debet esse quan-
titas, & cereorum reliquias, cum novos
adhibebitis, ad nos mittetis. Vestri Sa-
cerdotes primo non nisi nostris in templis
munus obibunt suum, & sacrificiorum, quæ
ad vestras quotidie peragetis aras, dona-
ria nobis reservabitis. Immo quæcunque
consequemini, seu altarium ornamenta sint,
seu libri sacri, nobis tradi volumus.

Præfules hos Religiosos etiam eorum *C. Nimis*
 tum Synodos adire, tum decreta exequi *prava 17.*
 jubebant. Minitabantur, se in eorum æ- *ibid.*
 dibus ipsos corrigendi gratia conventum
 acturos. Petebant, ut Ministri & Quar-
 diani

Sæcul. XIII.
A. C. 1231.

diani suam ipsis fidem jurejurando obstringerent. Imperabant levibus ex causis, ut publicis ipsorum supplicationibus tam extra quam intra urbes interessent. Minabantur, eos e suis domibus ejectum iri, nisi per hæc omnia obtemperarent. Usu sacrorum prohibebant Fratrum patronos, illosque, qui eos ibi, quo vocati erant, benigne excipiebant: nec enim in magnis urbibus, & clarioribus locis eos sedem figere volebant. Asserebant sibi merito poscendas esse decimas fructuum ex eorum hortis, ac summam pecuniæ ob eorundem domos sicut ob ædes Judæorum, quia si alii eas incolerent, inde lucrum sibi obveniret. Denique arbitrato suo Ministros illis & Guardianos designare cupiebant.

Vading.
1231. n. ult.

Fratres mendicantes has Præfulum vexationes Papæ conquesti, duas ab eo epistolas, quibus illæ coërcerentur, obtinere: 21 Augusti altera, altera 23 ejusdem mensis an. 1231 dat. fuerat. Et prior quidem Episcopis omnibus generatim, posterior Turonensi & Rothomagensi Archiepiscopis ac Præfule Parisiensi, eximii Fratrum defensoribus inscripta erat. Minores anno præterito Parisiis domicilium statuerant eo loco, quo etiamnum sunt in Paroecia S. Cosmæ, ad Abbatiam S. Germani de Pratis pertinente. Forma concessionis est notatu digna: nam dicitur
Abbas

Dubrevil.
p. 515. Du-
bois to. 2.
p. 330.

Abbas & conventus eum locum & loci domos illis hospitem instar ibi habitaturis commodasse, ita ut, nec æs campanum, nec cœmeterium, nec aram nisi portatu facilem, nec facellum benedictum habere possent, atque S. Cosmæ parœcia ibi omne jus suum conservaret. Videre hic licet S. Francisci spiritum, discipulos suos nulla possidere bona, ac ne domos quidem proprias, sed alienas incolere volentis.

Sæcul. XIII.
A. C. 1231.

§. X.

*Obitus S. Richardi Archiepiscopi
Cantuariensis.*

Sub idem tempus delatus in Aulam Romanam Richardus Archiepiscopus Cantuariensis ad Papam plures de Henrico III Angliæ Rege querelas detulit. Primo quod is in gubernando Regno solius Huberti Burgii, supremi justitiæ Præfecti, consilia sequeretur contemptis cæteris Optimatibus; quod Hubertus primæ conjugis suæ cognatam nuptiis sibi junxerit, ac Ecclesiæ Cantuariensis jura sibi arrogaverit; quod quidam Episcopi Suffraganei sui neglecta gregis cura sedem in curia caperent, ac res profanas, immo etiam capitales examinarent; quod quidam ecclesiastici etiam nondum sacris Ordinibus initiati plura beneficia

cura

Matth. Par.
1231.
p. 312. edit.
1684.

Secul. XIII.
A.C. 1231.

cura animarum prædita tenerent, ac exemplo Episcoporum negotiis profanis se immiscerent. Rex quoque Clericos eum defensores miserat. Sed horum rationes Papæ non probabantur; & Archiepiscopus, quicquid poposcerat, impetravit. Nam præter æquitatem causæ, specimina scientiæ ac virtutis suæ dederat, mira facundia, & summa formæ dignitate conspicuus. At rediens tridui itinere cis Romam tertio Augusti an. 1231 ad coelos avolavit. Sic quæ obtinuerat, effectu caruere.

Vacante proin ejus Sede monachi Cantuarienses elegerunt Radulphum Vimiacensem, Cicestriæ Episcopum, ac Regium Cancellarium, exploratæ integritatis, & constantiæ virum, ac 24. Septembris Regi præsentem stiterunt, qui ei summo opere favens mox confirmationem in jure prædiorum ad Archiepiscopatum pertinentium tribuit. Monachi Romam ituri, ut Papa electionem haberet ratam, Radulphum, ut ad itineris sumptus conferret aliquid, orabant. Sed is repulsam dedit, ne sacrorum nundinatio quædam esset, veritus, ac divinæ Providentiæ rem totam relinquens, seu Archiepiscopus fieret, seu Cancellarius maneret. Illis Romam delatis Papa e Doctore Simone Langetonio, qualis vir Radulphus esset, sollicitè quærebat. Respondit Simon:

E

*Est aulæ affecta indoctus ac loquax; & Sæcul. XIII.
quod maximi momenti foret, si Archiepi- A.C. 1231.*
scopus evaderet, conabitur ex Regis voto
liberare Angliam a jugo, quod ipsi Rex
Joannes imposuit, eandem Romanæ Eccle-
siæ obnoxiam & tributariam reddens. Eam
molitionem Radulphus capitis sui periculo
prosequetur, innixurus appellationibus ab
Episcopo Stephano, ante aram S. Pauli
Londinensis interpositis tunc cum Joannes
coronam suam Legati manibus traderet.
Papa hæc audiens rejecta postulatione,
alium Archiepiscopum eligendi copiam
monachis fecit, reditumque in patriam
imperavit.

§. XI.

Romani in Anglia acerbe habiti.

Per id tempus in Anglia circumfereban-
tur lictæ in hanc sententiam; *Matth. Par.*
Episcopo N. vel Canonico Collegio N. *1231. p. 313.*
omnes illi, qui mori, quam a Romanis oppri-
mi malunt, salutem. Quales se Romani,
horumque legati Clero Anglico hætenus
exhibuerint, latere vos haud potest. In
populares suos, ut lubet, Sacerdotia Regni
conferunt maximo damno vestro: vos cæ-
terosque collatores muneribus ad tempus
abstinere jubent, ne Anglis illa tribuatis
beneficia, donec quævis Ecclesia quinque in
gremio suo Romanos numeret, quorum quili-
Histor. Eccles. Tom. XX. H bet

Sæcul. XIII. *bet annuo centum librarum censu fruatur.*
 A.C. 1231. Et postea: *Vetamus omnino, ne vobis cum Romanis negotium sit: alioqui vobiscum haud mitius, quam cum illis agemus, & bona vestra igni dabimus.* Similis epistola inscripta erat iis, qui Romanorum beneficia conduxerant, & cum eadem comminatione eos jubebat deinceps nihil his reddere, sed annuos fructus reservare conspirantium procuratori certo die tradendos.

§. XII.

S. Elisabetha Hungarica.

In Germania S. Elisabetha Thuringorum Dynastæ vidua vitam brevem sed religiosissimam cum æterna commutavit. Erat Andreae Hungarorum Regis filia, mox a cunis Ludovico Comitis Provincialis filio desponsa, ad quem quadrimestre mittebatur. Ab infantia ad virtutem propendens in matrimonio miræ pietatis exercitia prosequabatur consentiente juvene Principe marito suo, qui etiam ipse summum in probitate studium ponebat. Ejusdem bona cum venia, cujusdam sancti Sacerdotis Conradi nomine celebris concionatoris ductu & consiliis utebatur, eique obedientiam promisit: qui vero authoritatem suam præcipue ad moderandum nimium Elisabethæ ardorem adhibebat.

hibebat. Tres ea genuit liberos, Her-
mannum, qui patri successit, duasque fi-
lias, Sophiam, quæ Duci Brabantiae nu-
psit, & aliam, quæ cœnobium ingressa sa-
crarum Deo virginum antistita seu Abba-
tissa evasit. Quando Elisabetha a puer-
perio prodiit, sobolem ipsa suam in tem-
plum detulit offerendum Deo.

Occupare se consueverat e colu la-
næ fila ducendo, conficiendis pannis in-
donea, quos dein inter pauperes, præser-
tim in Fratres Minores distribuit. Cum
Germaniam anno 1225 fames premeret,
omne frumentum e suis collectum terris
dari egenis iussit absente conjuge, qui in
Apulia apud Fridericum Cæsarem com-
morabatur, ac reversus Principis miseri-
cordiam laudavit rejectis administrato-
rum querimoniis. Pauperes infirmos in
arce monti alto imposita stipem quæren-
do impares solatura, inferius hospitem
domum erigi curavit, ubi eorum commo-
dis ipsamet serviebat, & singularem in-
fantium gerebat curam. Nongentos quo-
tidie inopes alebat. Marito in Apulia,
ut ad annum 1227 memoravi, vita fun-
cto, Henricus frater ejus possessionem
Thuringiæ adiit (id quod Hermanno de-
mortui filio quadrimo fraudi fuit) ac E-
lisabetham bonis omnibus spoliata e
castro Wartberga, ubi habitabat, ejecit,
ita, ut in quoddam Lisenaci vicinæ urbis

Sæcul. XIII.
A. C. 1231.

Sup. Lib.

LXXIX.

g. 36.

Hist. Landg.

c. 41.

c. 40.

Sæcul. XIII.
A. C. 1231.

diverforiolum se abdere cogeretur, præ metu irritandi Principis nemine eam recipere auso. In miseriarum cumulum missi sunt ei tres liberi sui; atque ita ali-quod tempus in summa inopia, sed mira prorsus patientia egit. Quo comperto eam primum cognata sua Abbatissa Kitzingæ in Dicecesi Würzburgensi, dein Bambergensis Episcopus pariter propinquus suus ad se vocatam omnibus benignitatis officiis coluit, etiam secundas ei nuptias offerens, quod ætate tam florentem cerneret: nam viginti annos nata maritum amiserat: sed constanter recubabat.

Interea illi, qui Ludovicum in itinere comitati fuerant, ejus ossa in Thuringiam advexerunt: & quidam eorum Henrico tantam erga suam affinem inhumanitatem ita exprobravit, ut is facti poenitentia ductus Elisabethæ in arcem Wartbergam reductæ magnam deinceps reverentiam amicitiamque exhiberet. At ipsa pertæsa honores in eo castro sibi haberi solitos, anno sequente 1229 petita ab Henrico dote sua Marburgum ad Conradum rectorem suum se contulit. Tum Gregorius Papa de virtutibus Principis hujus edoctus, & solatium ei per literas animumque attulit, & suum spondit præsidium, & Conrado eam commendavit. Hic sanctus Sacerdos ani-

6. 42.

mæ

mæ in perfectione adeo progressæ con-
 venientem adhibebat severitatem, usque
 eo, ut duas ejus famulas, quas ipsa te-
 nere nimis diligebat, amoveret. Tem-
 perabat idem paupertatis amorem, quo
 accensa panem ostiatim mendicabat; &
 beneficiis suis nullum ponenti modum e-
 rogationem pecuniæ prorsus interdicere,
 soliusque panis distributionem permitte-
 re compulsus est. Illa regulam tertii
 Ordinis S. Francisci amplexa, hospitalem
 sæpe domum invisebat alias Marburgi a
 se constructam. Hæc pietatis opera
 exercebat, cum a Regio ejus patre mis-
 sus ex Hungaria Comes advenit, ora-
 tum, ut rediret in patriam, vitamque ge-
 neri suo congruentiorem ibi duceret. Sed
 hac invitatione minime se commoveri si-
 nens, institutam Deo serviendi rationem
 se servaturam reposuit. Demum e cor-
 pore emigravit 19 Novembris anno 1231,
 ætatis 24. Cum eam Pontifex Maxi-
 mus anno 1235. 1. Junii ad Coelitum or-
 dinem adscriberet, diem obitus ejus ho-
 nori consecravit.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1231.

Vita c. 26.
Bonav. Ser.
de S. Elis.
Vading.
 1229, n. 6.

Bullar.
Greg. IX.
 n. II.
Martyr. R.
 19. Nov.

§. XIII.

Sancta Hedwigis Polonice Dux.

Hedwigus Elisabethæ matertera, Po-
 loniæ Dux, mirifica pariter virtute
 excelluit. Patrem habebat Bertoldum

Vit. ap. Sur.
 15. Oct.

H 3 Carin-

Sæcul. XIII.
A. C. 1231.

Sup. Lib.
LXXIV.
§. 57.

Carinthiæ Ducem, Marchionem Moraviae, Comitem Tyrolis, & matrem Agnetem Comitis Rotlechsii filiam. Hi octo genuerant liberos, filios quatuor, & totidem filias. Ex illorum numero erat Bertholdus Aquilejensis Patriarcha, & Eckembertus Episcopus Bambergensis: duo reliqui Otto ac Henricus militiam secuti successerunt patri suo. Filiae fuerunt Hedwigis, Agnes per suum cum Philippo Augusto Gallorum Rege conjugium tam celebris, & Gertrudis Regina Hungariæ, Sanctæ Elisabethæ mater: quarta erat Abbatisa Luzingæ in Franconia Ordinis S. Benedicti.

Hedwigis mox ab infantia sua hoc in cœnobium missa sacras ibi litteras didicit, quæ postea magno semper solatio ei fuerunt. Duodecim annos nata Henrico Silesiæ ac Poloniæ Duci nupsit, & hoc in statu continentiam, quantum poterat, coluit. Cum sentiret se ferre uterum, ac tredecim annorum esset, ex consensu Principis mariti sui separata puerperium expectabat suum; id quod deinde semper egit præter abstinentiam Dominici Adventus, verni jejunii, ac religiosis diebus servatam. Procreatis sex liberis perpetuam Duci continentiam persuasit; ad quam cum se Deo per votum non sine solemnibus Episcopi benedictione obligassent, triginta circiter annos sic vivebant. Rem
omni-

omnibus constare videntes diversas inco-
lebant ædes, ac rarissime se invisebant,
nec sine arbitris, ne imbecillibus offen-
sioni seu scandalo essent. Dux vitam re-
ligiosam professus quidem non erat, du-
cebat tamen, & more fratrum laicorum
in monasteriis barbam alebat in pectus
fluentem, unde Henrici Barbatii nomen
tulit.

Hedwigis eum adduxit, ut Trebeni-
cii prope Uratislaviam in Silesia Virgi-
num Ordinis Cisterciensis cœnobium
conderet: cujus prima Antistita fuit Pe-
trissa illa, quæ Principis etiamnum in-
fantis custodem ac procuratricem egerat,
& Bambergæ modo cum aliis religiosis
Virginibus ab eadem accita fuerat. In-
stitutio facta est anno 1203, dedicatio
templi anno 1219. Hedwigis collecto
ibi magno religiosarum numero, filiam
suam Gertrudem Deo ibidem obtulit, quæ
postea illarum Abbatissa evasit. Multas
etiam puellas tum nobiles tum ignobi-
les illic educari curavit Hedwigis, qua-
rum aliquæ monasticam vitam amplecte-
bantur, cæteras in matrimonium collo-
cabat. Ipsa sæpe illic concedebat vi-
vente Duce marito suo, & in dormitorio
cubabat: deinde sedem ibi fixit suam
prope monasterium, sed extra, & religio-
nis vestem quidem induit, vota tamen
haud nuncupavit, ut pauperes opibus suis

H 4 juven-

Sæcul. XIII.
A.C. 1231.

c. 2.

c. 6.

c. 1. 2.

Sæcul. XIII. juvandi libertas sibi maneret integra.
 A. C. 1231. Henrici conjugis sui mortem, quæ anno
 1238 contigit, mira tulit patientia, & re-
 ligiosas ejus jactura afflictas consola-
 ta est.

c. 3.

§. XIV.

*Otto Legatus Pontificius in Ger-
 mania.*

*Alberic.
 p. 539.*

Otho Cardinalis Diaconus titulo S. Ni-
 colai Apostolicæ Sedis Legatus in
 Germania, Würzburgi concilium habe-
 re volebat. Sed Albertus Saxonix Dux
 se opposuit per litteras, quas omnium e-
 jus regionis Nobilium nomine ad univer-
 sos Germaniæ Præsules scripsit in hanc
 sententiam: *Audivimus, Cardinalem colla-
 turum esse beneficia Ecclesiastica in Saxo-
 nia æque ac in reliquis Imperii partibus,
 aliaque servitutis genera ad opprimendas
 Ecclesias nostras introducturum. Quare
 si conservare leges patrum vestrorum, &
 Sanctuarium a manibus exterorum tueri
 vultis, Machabæos debetis imitari, quorum
 festum Ecclesia celebrat. Cleri dignitas
 hodie minor est, quam tempore Pharaonis,
 qui quanquam divinæ legis ignarus, Sa-
 cerdotibus tamen frumentum publicis e gra-
 nariis dari jussit. An nescitis, vos inter
 & aliarum regionum Episcopos hoc esse
 discrimen, quod non Pontifices duntaxat,
 verum*

*Martyr. R.**1. Aug.**Gen. 47. 22.*

verum etiam Principes ac Domini sitis? Sæcul. XIII.
A. C. 1231.
 Cur ergo in loca tam remota vos trahi
 finitis contra Constitutiones hæcenus ap-
 probatas? Hæc ultima verba videntur
 spectare ad appellationes in falsis Decre-
 talibus fundatas.

Habuit effectum suum hæc epistola,
 & Episcopi inita cum juvene Rege Hen-
 rico consultatione, ne concilium fieret,
 impedierunt. Aliquanto post tempore
 Cardinalem Leodii urbis porta egreden-
 tem invaserunt aliqui, jussu Regis, ut ru-
 mor erat, occisuri: Sed urbs Othoni pœ-
 nas dedit, fere anni spatio divinis in-
 terdicta.

§. XV.

Ecclesiæ Septentrionales.

Balduinus Ulnius ab Othone Legato in
 Livoniam missus magna regionis par-
 te a dæmonum jugo Christianam in li-
 bertatem asserta, Romam adiit, ibique ad-
 versarios habuit, qui se Equites Dei no-
 minabant. Dicebant, se Templariorum
 regulam sequi; quibus tamen se non sub-
 jecerant: sed erant divites mercatores,
 e Saxonia quondam ob crimina sua pro-
 scripti, sic vero aucti, ut sine Rege, sine
 lege vivere se posse crederent. Baldui-
 nus, postquam Summum Pontificem, qua-
 les hi viri essent, ac de successu laborum
 suorum

*Alber. 1232.
p. 542.*

Sæcul. XIII.
A. C. 1232.

suorum edocuerat, Semigalliæ parvæ provinciæ, cujus caput Mitavia est, & quæ Livoniæ partem efficit, Episcopus ab illo consecratus, iisque in locis Legatum agere jussus est, ut apparet ex litteris Pontificiis 28 Januarii an. 1232 datis, quarum hæc summa est: *Tuum animarum salutis studium fecit, ut rejectis vanitatibus in ethnicis Christo adjungendis ad nutum & arbitrium Ottonis Cardinalis multis te periculis exponeres. Quare te consecravimus Episcopum Semigalliæ, majores tui fervoris fructus sperantes, & in Livonia, Gothlandia, Finlandia, Estonia, Semigallia, Curlandia, cæterisque neophytorum ac ethnicorum provinciis, & insulis propinquis potestatem Legati tibi concessimus, ut libere doctrinam Evangelicam promulges, Clerum corrigas, Ecclesias in dignitatem suam vindices. Institues ibi, vel cum opus fuerit, exauthorabis Abbates, Priores, ac Superiores alios: sacris ordinibus initiabis Clericos, approbabis electionem Episcoporum, hos consecrabis, & Abbates faustis ad Deum precationibus prosequeris. Sacris etiam pœnis sive censuris rebelles coercendi copiam tibi facimus, spondentes, fore, ut nos sententias tuas ratas habeamus, ac executioni dari curemus.*

Inter populos tunc sanam religionem amplectentes erant Curones, sive Curlandi una cum Rege suo Lammechino, qui
pactio-

pactiōnem cum Pœnitentiario Othonis Sæcul. XIII.
 Legati inierunt, ad quem ille dicit: *E-* A.C. 1232.
thnici se obtulere ad sequenda Christi ca-
stra, nobis dederunt obsides, & Papæ man- Rain. 1232.
datis se per omnia morem gesturos pro- n. 3.
miserunt: atque nos ejus nomine agentes
ex communi consilio Ecclesiæ Rigensis, Ab-
batis Dunemundæ, mercatorum, Equitum
Christi, peregrinantium, civiumque Rigen-
sium consensimus in has condiciones: Sa-
cerdotes a nobis missos statim admittent:
necessaria eis ex æquo tribuent: eorum do-
ctrinam demisse audient; eos ut se ipsos
contra inimicos defendent: omnes viri ac
fœminæ se liberosque suos aqua vitali mox
abluendos sistent, cæterasque Christianorum
ceremonias observabunt. Hæc formula
multum abludit a vetere disciplina, per
quam nisi post tam longa experimenta
non licebat salutari lavacro tingere cate-
chumenos ejusdem nationis, ac eorun-
dem morum, quanto minus peregrinos
& barbaros! Pactum sic continuatur:
Episcopum a Papa sibi destinatum cum ho-
nore ac reverentia recipient tanquam pa-
trē ac Dominum suum, eique in omni-
bus ut reliqui Christiani obedient. Pen-
dent ei quotannis tributa, quæ populi Goth-
landicæ dare debent. Sed nec Danicæ nec
Suevicæ subditi erunt: nam donec ab or-
thodoxa religione non deficient, perpetuam
eis libertatem concessimus. Intererunt ex-
peditio-

Sæcul. XIII. *peditionibus contra ethnicos tum Christianos tuendi, tum eorum fidem propagandi gratia. Sistent se Papæ intra biennium, & omnia ejus jussa conficient.* Hoc factus die Festo SS. Innocentium 28 Decembris anno 1230 sancitum, Papa 11 Februarii an. 1232. ratum habuit.

A.C. 1232.

V. ep. 168.

Rain. n. 6.

Interim Papa ex litteris Episcoporum Masoviæ ac Uratislaviæ comperit, Borussos tam veteres ethnicos, quam Religionis desertores ultra decies mille pagos in finibus suis cum multis cœnobiis templisque concremasse, ita ut Christianis ad celebrandam rem divinam non alia superessent loca, quam sylvæ, in quas se abdidissent. Epistolæ illæ addebant: *Borussi supra viginti Christianorum millia trucidarunt, & ultra quinque millia in servitute detinent: quos capiunt, juvenes per nimios continuosque labores enecant: nec ætati nec sexui parcunt: virgines ludibrii causa floribus coronatas igne demonibus immolant, senes verubus transfugunt, infantes illidunt arboribus. Equites vero Teutonici Religionis causam in Borussia susceptam soli defendere nequeunt. Itaque vicinis huic regioni Præsulibus Papa hunc in modum scripsit: Petimus, volumusque, ut mutatis votis Bohemorum Cruce signatorum, quibus ob inopiam vel infirmitatem suam iter transmarinum condonavimus, contra hos ethnicos mittatis,*

ne gloriari possint, impune se Jesu Chri- Sæcul. XIII.
 sti nomen impugnasse. Dabat 23 Jan. 1232. A. C. 1232.

§. XVI.

*Controversia inter Regem Franciæ,
 & Archiepiscopum Rotho-
 magensem.*

In Galliis controversia Regi cum Archi-
 episcopo Rothomagensi nata annos *Chr. Ro-*
 quinque duravit. Ab anno 1227 Thibau- *thom. to. 1.*
 tius Ambianensis eam tenens sedem in *Bibl. Lab.*
 sylva sua Luverienfi ligna exstruendis æ- *p. 375.*
 dificiis apta cædi jufferat, Rothomagum
 vehenda: Sed Prætor Vauderevillius ea
 retinuit, cui propterea loci Episcopus u-
 sum sacrorum interdixit. Archiepisco-
 pus autem in curiam Regiam vocatus
 est, quod sine Regis permisso ejus Præ-
 tori poenam illam imponi jufferit. Ad-
 debatur, Archiepiscopum ex illa sylva e-
 jusmodi ligna pro sua tantum domo Lu-
 verienfi, non pro alienis posse avehere.
 Etiam aliæ querelæ motæ sunt, quæsi-
 tumque fuit, cur hic Præful ad eas re-
 sponfurus non veniret in curiam, ut cæ-
 teri Normanniæ Episcopi ac Barones?
 Erat illa sub Regibus Anglorum suprema
 Normanniæ curia, unde postea Senatus
 Rothomagensis est ortus. E cunctis his
 capitibus accersitus Vernonium ad Re-
 gem Thibautius comparuit, dixitque, se
 non

Sæcul. XIII.
A.C. 1232.

non obstringi ad respondendum in Curia Regia, cum quædam illorum capitum essent spiritualia, & ipse nullum a Rege prædium beneficiarium haberet, cujus rationem deberet reddere. Rege ac Regina ejus matre per hæc verba haud modice offensis, nec placatis discessit Thibautius. Ergo Rex consultatione cum Baronibus suis sæpius habita illius prædia occupavit, qui ex consilio Suffraganeorum suorum omnes possessiones arcesque, quas in Rothomagensi Archiepiscopatu Rex tenebat, exceptis urbibus interdicto affectit. Tum excessit e provincia iturus Romam, sed Rhemis morbo correptus misit, qui causam ipsius apud Papam ageret, obtinuitque, ut Romanus Cardinalis a S. Angelo, qui tunc Gallias ut Legatus adibat, illam discuteret. Et vero secundum rigorem juris Præfuli omnia adempta bona, quæ moveri vel poterant, vel nequibant, fructusque inde ablatos restitui, etiam ligna Luverii cæsa Rothomagum revehi curavit. Tam bene compositas res suas videns Thibautius naturæ concessit 25 Septembris 1229 Pontificatus sui septimo.

In ejus successorem Thomam Freavillium Rothomagensem Decanum major Canonorum pars elegit: sed altera vehementer refragante lis in Curia Romana amplius anno hæsit. Demum mense

Majo

Majo 1231 Thomas jus suum in manus Papæ deposuit, a quo Mauritius Episcopus Cenomanensis in sedem Rothomagensis translatus, & dominica ante Festum S. Magdalenæ 20 Julii receptus, illam annis duobus ac dimidio tenuit. Thomam Freavillium electum in Episcopum Bajocensem Mauritius Dominica Passionis 28 Martii 1232 consecravit. Eodem anno mortua Abbatissa Montivillienſi Diocesis Rothomagensis, cum eligentes in diversas abiissent partes, Mauritius formam Concilii Lateranensis ibi non fuisse observatam videns, rejecit ambas electas, & Religioſas jure eligendi inpræſens privans, aliam eis Antistitam creavit: sed Rex se opponens, ne ista reciperetur, impediit. Tum Archiepiscopus moniales omnes obsistenti Regi adhærentes sacro anathemate persecutus est.

Sub initium verni jejunii ejusdem anni aliquot monachos S. Vandrilli sacro fulmine perculit, quorum rursus defensionem Rex suscepit, atque ob hæc duo capita, & alia quædam Archiepiscopum coram se comparere jussit. Renuit is autem ut antecessor ejus, & secundum veterem Ecclesiæ Rothomagensis libertatem, ac observatam hæctenus consuetudinem tam in profanis quam in spiritualibus post Deum non alium sibi Judicem quam

Sæcul. XIII.
A. C. 1232.

Sæcul. XIII. quam Papam esse affirmavit. Quare **11**
A. C. 1232. Julii omnia Ecclesiæ Rothomagensis præ-
 dia Rex occupavit. Quem, ut ea red-
 deret, sæpius frustra adhortatus Mauritius
 primus omnia Regiæ ditionis in Rotho-
 magensi Diœcesi facella, nisi cum Rex aut
 Regina ibi præsens foret, dein omnes il-
 lius Prætores ac Proprætores cum ipso-
 rum familiis, & omnia Regiis in fundis
 cæmeteria, templaque suæ jurisdictioni
 obnoxia interdicto affecit, quantum ad
 Ecclesias attinet, sic mitigato, ut solum-
 modo æs campanum pulsare, & officium
 ad notas musicas canere ibi non liceret,
 ne major severitas hæreses ac populi ob-
 stinationem pareret.

p. 524. ep. 5.

Verum a Rege nihil se impetrare vi-
 dens, interdictum ad omnes suæ Diœ-
 cesis Ecclesias extendit, vetuitque, ne
 unquam ibi divinum celebraretur offi-
 cium, vel ullum Sacramentum nisi Ba-
 ptismatis infantibus & Pœnitentiæ mo-
 ribundis conferretur. *Permittimus tamen,*
pergit, ut in quavis parœcia semel in hebdo-
made clausis januis usque, quibus Ecclesia in-
terdicta est, exclusis Sacerdos populo introi-
tum, Epistolam, & Evangelium legat, panem
benedictum præbeat, & Ecclesiæ præcepta
explicit; declaramus simul, quam dolenter
hoc edamus interdictum. Archiepiscopus

p. 521. ep. 2.

aliam addidit circumstantiam. Jussit in
 omniibus Diœcesis suæ templis Beatissi-
 mæ

mæ Virginis Ecclesiæ Rothomagensis Sæcul. XIII.
 Patronæ imagines e locis suis tolli, in A. C. 1232.
 pronao seu sacræ ædis parte inferiore su-
 pra sedem aliquam supinas poni, ac spi-
 nis circumdari. Interea querelas suas
 ad Papam detulit, qui litteris Regem, ut
 offenso Præfuli satisfaceret, monuit, si-
 quid juris Rex contra hunc haberet, se VI. ep. 175.
 illi adjudicaturum spondens. Eodem apud Rain.
 tempore Episcopis Parisiensi ac Silvane- 1232. u. 26.
 tænsi in mandatis dedit, ut Prætores
 Regios pœnis sacris seu censuris cogèrent,
 Archiepiscopo Rothomagensi adempta
 bona restituere. Epistola ad Regem da-
 ta est 29 Novembris 1232: sed sero effe-
 ctum habuit suum; & Diœcesis Rotho-
 magensis tredecim menses divinis inter-
 dicta mansit a die Festum S. Michaëlis
 præcedente nempe 28 Septembris 1232
 usque ad Festum S. Crispini 25 Octobris
 1233. Tunc reddita sunt Archiepiscopo Chr. Rotho.
 prædia sua cum fructibus per occupatio-
 nis tempus inde perceptis.

§. XVII.

*Controversia Episcopi Belloua-
censis.*

Cum Rex Ludovicus tantum septende-
 cim annos natus esset, non tam ipsi
 quam consiliariis ejus adscribendus venit
 Aulæ Gallicæ modus agendi. Habebat
Hist. Eccles. Tom. XX. I ista

Sæcul. XIII.
A.C. 1232.

Alberic. an.
1230. Ric.
S. Germ.
eod.

Luvet. to. 2.
p. 366. 379.

to. XI. Conc.
p. 446.

ista eodem tempore similem controversiam cum Episcopo Bellovacensi. Is erat Milo Nantoliensis e Castellionum familia, bellator magis quam Episcopus. Ære alieno pressus, contra Imperatorem Fridericum bellum gerenti Gregorio Papæ suam obtulit operam, a quo post initam pacem Umbriam & Marchiam gubernandam accepit. Postquam tres annos in Italia commoratus fuerat, in Gallias magnis cum opibus redeuntem Longobardi expilarunt ita, ut in itinere suo plus amiserit, quam sit lucratus.

Eo absente Bellovaci in electione Consulibus cives inter ac infimam populifacem dissidium, seditio ac homicidia facta erant. Hac super re jus dicturi Rex ac Regina ejus mater numerofo militum cum comitatu illuc se contulere. Sed Episcopus, qui ante illos advenerat, obstitit, in urbe omnem sibi jurisdictionem convenire asserens: ac Rege non cedente ad concilium, quod Novioduni primaverii jejunii hebdomade an. 1232. hoc est, an. 1233 ante Pascha habeatur, querimoniam suam per Vicarium detulit sic loquentem: *Episcopus Bellovacensis vobis, Sancti Patres, per me refert, ad se pertinere justitiam & jurisdictionem in urbe sua, seque ac antecessores suos tranquille semper illam exercuisse: nihilominus Regem ex occasione criminis ibi commissi.*
cum

cum copiis eo profectum, multis ipsius precibus & admonitionibus contemptis, iussisse edictum suum in urbe promulgari, incolarum alios captivos abstrahi, alios in exilium mitti, & mille quingentas prope modum domos everti. Discedentem pro jure suæ per quinque dies habitationis ab ipso exegisse octoginta libras Parisienses: se respondisse, hanc petitionem esse novam, dandumque sibi modicum cum Canonicis suis ea de re deliberandi spatium. Sed Regem id ipsi denegantem occupasse omnes Episcopatus possessiones, iisque prasidia imposuisse. Igitur consilium a vobis & opem Episcopus meus postulat.

Tum secedentis una cum suis Episcopi Bellovacensis causa agitata Concilium statuit tres Episcopos, Sueffionensem, Laudunensem & Catalaunensem, Bellovacum mittere de jure Episcopi, ac illatis eidem injuriis plenam hausturos notitiam: id quod & factum est. Illi de inquisita rerum veritate hebdomade Dominicam Passionis præcedente ad Concilium Laudunense retulerunt: quod Regem jam ante rerum indaginem monitum, iterum ac tertio commonendum existimans, tres alios Episcopos, Anselmum Laudunensem, Godefridum Cameracensem, & Azonium Atrebatensem misit, qui Regem urgerent, ut Pontifici Bellovacensi & homines captos & præ-

Sæcul. XIII.

A.C. 1232.

Marlot. to. 2.

p. 515.

Sæcul. XIII. dia occupata redderet. Admonitio da-
 A.C. 1232. ta est Poissii Dominica Passionis an. 1232
 h. e. 20 Martii an. 1233. Rege secun-
 dam petitionem abnuente Milo totam
 Diœcesin suam interdicto affecit, quod
 cæteri Episcopi totam in provinciam ex-
 tenderunt.

Ineunte Septembri ejusdem anni
 Marlot. to. 2. 1233 ad S. Quintinum congregati statue-
 Lib. III. c. 30 runt omnes ire Romam, si Archiepisco-
 p. 616. pus Rhemensis id expedire crederet, aut
 illi saltem, quos eo mitteret, ad tuen-
 dam Ecclesiarum suarum libertatem. Ca-
 thedralia provinciæ Collegia conquere-
 bantur de Episcopis, eosque ipsis non
 consultis interdictum edere non potuis-
 se affirmabant: & Laudunensibus qui-
 dem Canonicis Rex gratias egit, quod
 interdicto non paruerint. Quam ob rem
 tertia Adventus Dominica ejusdem an-
 ni ad S. Quintini alterum habebatur con-
 cilium, ad quod etiam Collegia Cathe-
 dralia vocabantur, ne illius auctoritatem
 rejiciendi causam possent prætexere.
 Hoc in concilio persuadente Simone Ar-
 cio Decano Ambianensi sublatum inter-
 dictum, ac generatim declaratum fuit,
 Episcopos nihil posse decernere præter-
 quam adhibitis in consilium Collegiis suis.
 Questus palam hac de sententia Milo ma-
 jorem Romæ potestatem imploravit, eum-
 que in finem illuc se contulit. Papa
 com-

2.03.1017

242

compositurus litem, conciliatore pacis inter Regem ac Episcopum usus est Petro Colmiæo Decano ad S. Audomarum: ut in epistola 6. Aprilis an. 1234. ad Regem data memorat. At Milo Episcopus Bellovacensis eodem anno 6. Septembris Camarini in Italia animam efflavit: & post aliquot annos Robertus Cressonsartius ejus successor sublato interdicto cum Rege pacem iniit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1232.

IV. epist. 19.
ap. Rain.
1234. n. 12.

§. XVIII.

Ulteriores injuriæ Romanis in Anglia illatæ.

In Anglia conjuratio adversum Romanos facta Natalibus Servatoris nostri feriis an. 1231 erumpere cæpit. Parvus numerus armatorum tectis, ne agnoscerentur, vultibus Vingamensis Ecclesiæ ad Romanum ditissimum pertinentis granaria direptum venerat. Videns violentiam procurator ejus ad Procomitem rem detulit, qui suorum quosdam cum vicinis equitibus aliquot eo misit. Illi vero incogniti evacuatis ex maxima parte granariis frumentum commodo pretio in emolumentum totius provinciæ vendiderant, ac egenis poscentibus libenter distribuerant. Dein ab equitibus interrogati, qui essent, abductis a turba Regias monstrabant litteras, ne vetarentur

Matth. Par.
an. 1232.
p. 314.

Sæcul. XIII.

A. C. 1232.

agere, imperantes. Falsæ quidem erant litteræ: sed equites fraudis ignari iis perlectis cum comitatu suo recesserunt. Ita factum, ut ignoti homines illi omniframento intra quindecim dies venundato, multis cum pecuniis se subducerent. Edoctus hanc vim Rogerius Londiniensis Pontifex convocatis aliis decem Episcopis postridie Festi S. Scholasticæ nempe 11 Februarii an. 1232 ad S. Paulum Londini omnes ejus violentiæ authores unacum iis, qui Cencium ejusdem urbis Canonicum male acceperant, & cum omnibus conjuratis sacro fulmine perculit.

Ejusmodi facinora in Paschate rursum cæpta per totam fere Angliam proferebantur: vendebatur modico pretio Romanorum frumentum, & magna liberalitate pauperibus dispensabatur. Romani Clerici in cœnobiis abditi, ac ne conqueri quidem ausi, bona sua quam vitam perdere malebant. Authores violentiæ erant circiter octoginta, & interdum pauciores; ducemque habebant Robertum Thingium Equitem juvenem ac nobili ortum genere, qui Uithamus volebat dici. Summus Pontifex repaulo post comperta gravissime offensus, ad Regem Angliæ litteras severas dedit, quibus ei vehementer exprobrabat, quod in Regno suo Clericos ita expilari pateretur, juramentorum ad inaugurationem suam

suam dictorum immemor. Itaque cum Sæcul. XIII.
 comminatione sacri anathematis & in- A.C. 1232.
 terdicti ei præcipiebat, ut inquireret in
 violentiam, & graves de authoribus ejus
 pœnas sumeret. Petro Episcopo Vinco-
 niæ & Abbati S. Edmundi mandavit, ut
 inquisitionem facerent per partem An-
 gliæ meridianam, reosque apiorum com-
 munionem seclusos denunciarent, donec
 Romæ præsentibus absoluti essent. Pro
 parte Septentrionali eadem mandata de-
 dit Archiepiscopo Eboracensi, Episcopo
 Dunelacensi, & Joanni Eboracensi Cano-
 nico, sed natione Romano.

In quadam epistola ad Archiepisco- *ap. Rain.*
 pum Eboracensem cæterosque Episcopos 1232. n. 28.
 queritur numisma SS. Petri & Pauli ima-
 ginem exhibens pedibus calcatum, sua
 diplomata lacerata, cursorum seu appa-
 ritorum suorum aliquem in frustra conci-
 sum, alium semimortuum relictum: do-
 letque illos prædones ac incendiarios pu-
 blicos anathemate percussos denuncia-
 tos non esse, nec Ecclesias fuisse interdi-
 ctas: denique solemniter eos denunciari ju-
 bet. Dabat 9 Junii an. 1232. Credendum est,
 Papam ignorasse ea, quæ Episcopus Londi-
 niensis fecerat. Interea ex parte tam Regis,
 quam Papæ in grassatores inquisitum est,
 multique inventi sunt fontes vel tanquam
 authores, vel tanquam complices, etiam
 Episcopi, Clerici Regis, Archidiaconi, De-

Matth. Par.
 can; p. 316.

Sæcul. XIII. cani; Equites præterea, & magnus aliorum Laicorum numerus. Hinc Rex Procomites cum tribunis ac ministris suis in custodiam tradi iussit: alios abstulerat fuga. Compertum est, Magnum Justitiæ Præfectum Hubertum Burgium prædonibus illis dedisse litteras vetantes, ne eorum facinora impedirentur. Robertus Thingius eorundem Dux inter alios se sistens Regi asseruit, ad ea, quæ egisset, se stimulatam esse odio Romanorum, per manifestam fraudem ecclesiastico, quod solum haberet, beneficio ipsum privare conantium: quod ne amitteret, ferendam sibi sacræ ad tempus proscriptionis injustitiam visam esse. Itaque Pontificii rerum Quæsitores ei suadebant, ut Romæ præsens exponeret jus suum, & absolutionem peteret: quo fine Rex litteras ei commendatitias dedit.

p. 317.

Eodem tempore hebdomade Pentecostes, quæ hoc anno in trigesimum Maji incidit, Romam venit Joannes Ecclesiæ Cantuariensis Prior, loco Episcopi Cicestriensis in Archiepiscopum a monachis electus. Quem per tres dies super novendecim punctis solícite examinatum cum Joannes Columna cæterique præsentibus Cardinales satis doctum censerent, Papa tamen, cui per ætatem jam ingravescentem, ac simplicem nimis animum ad sustinendam illam dignitatem minus idoneus

idoneus videbatur, ei persuasit, ut de jure suo decederet, monachisque ad tertiam electionem procedendi copiam fecit.

Sæcul. XIII.
A.C. 1232.

§. XIX.

Summus Pontifex Roma pulsus.

Interim Gregorius Papa a Romanis semper rebellibus ex urbe fugatus, tum Spoleti, tum Anagninæ, tum Reate commorabatur, ubi 24 Julii Friderico Imperatori scripsit, rogans, ut Ecclesiæ matri suæ, h. e. secundum illius temporis stylium, Papæ ac comitibus ejus celeriter auxilio veniret. Imperator, quamvis Romanorum seditionem etiam per largitiones clam foveret, Papæ tamen armatas spondit suppetias; de quibus eo securiorem redditurus Archiepiscopum Mesanensem, ac Petrum Curia Imperialis Judicem ad eum misit. Papa magnificis verbis gratias illi dixit, seu reapse deceptus, seu eundem exacerbare nolens. Sed aliquanto post illi conquestus fuit, quod Saraceni sub ejus signis militantes templum ad monasterium S. Laurentii Aversæ pertinens in equile converterint; & postea ejusdem destructi materiam ad ædificia Nuceriæ erigenda adhibuerint. Supererant in Sicilia plurimi Saraceni sub ditione Cæsaris, qui militari eorum opera utebatur.

Ric. S. Ger.
an. 1232.
Rain. n. 37.

40.

VI. ep. 149.

ep. 184.

Sæcul. XIII.
A. C. 1232.

§. XX.

Tractatio reconciliationis Græcorum.

Hoc anno Gregorius Papa recepit Germani Græci Constantinopoleos Patriarchæ Legatum cum epistola pro reconciliatione Ecclesiarum: en legationis hujus occasionem! Quinque Fratres Minores in Anatoliam Christo animas adjunctum profecti, a Turcis capti & in carcere detenti fuerant. Inde emissi venire Nicæam, ubi Græcus Patriarcha æque ac Imperator Joannes Vataicus sedes fixerant suas. Patriarchæ deferentes obsequia, suam paupertatem, & ardens honoris divini studium magnopere probabant, & perhumaniter excepti sunt. Inter mutuos variis de rebus sermones potissimum schismati Ecclesiam a longo tempore dividenti immorabantur; & ad concordiam Latinos inter ac Græcos conciliandam suam offerentes operam benevolas nacti sunt aures. Vidimus an. 1193 Papam Innocentium tertium ex una parte, & ex altera Alexin Angelum Imperatorem, & Patriarcham Joannem Camaterum gressus aliquos ad reconciliationem fecisse: Sed Constantinopolis a Latinis capta animos plus quam antea sejunxit. Patriarcha Germanus cogno-
mento

Sup. Lib.
LXXV.
§. 14.

Leo Allat.
consen. p. 723
724.

mento Nauplius sub annum 1227 Ma-
 nueli philosopho successerat. Patriam
 habebat Anaplum in Propontide: & in-
 ter Clericos Constantinopolitanos edu-
 catus vitam monasticam amplexus erat:
 unde ad Sedem Patriarchalem evoca-
 tus, eam annis septendecim ac dimidio
 tenuit. Patriarcha Constantinopoleos
 Latinus erat Simon, qui hoc anno 1232
 supremum diem explevit: ac in sedem
 per annum & amplius vacantem Grego-
 rius Papa consentiente Clero Constanti-
 nopolitano Nicolaum Placentinum Epi-
 scopum Spoletanum, qui ejus Procan-
 cellarius fuerat, transtulit.

Patriarcha Germanus Fratrum Mino-
 rum verba Imperatori Joanni Vatacio
 Domino suo retulit, cujus tunc intererat
 sibi Papam reconciliare, ut tempestatem,
 quam a Joanne Briennio Constantinopo-
 lis Imperatore Latino sibi metuebat, aver-
 teret. Hic Princeps eo advenit sub fi-
 nem anni 1231, & a Patriarcha Simone
 in S. Sophiæ templo coronatus fuit.
 Georgius Acropolita, qui eum tunc vidit,
 a procera & ad dignitatem apposita sta-
 tura senis ad minimum octoginta annos
 nati in admirationem se raptum memo-
 rat. Per annum circiter nihil ille movit.
 Verum Vatacius hanc quietem haud diu-
 turnam fore merito ratus, cruce signato-
 rum auxilium, quod ei Papa mittere pos-
 set,

Sæcul. XIII.
 A.C. 1232.

Sup. Lib.
 LXXVIII.
 §. 48.

Alberic.
 1232.

Anonym. ap.
 Allat. de
 Cousen.
 p. 695.
 Ducang. hist.
 C. P. p. 93.

c. 27.

Sæcul. XIII.
A.C. 1232.
fet, prævertere, ut apparet, voluit. Ita
que Papæ pro reconciliatione & Patriar-
cham scribere passus est, & ipsemet scri-
psit.

to. XI. Conc.
p. 318.
Matth. Par.
an. 1237.
p. 386.
Vading.
1232. n. 34.
Patriarchæ Germani ad Gregorium
Papam epistola initium habet a precibus
ad J. C. quem invocat tanquam lapidem
angularem diversas gentes in una & ea-
dem Ecclesia conjungentem. Tum ad
Papam conversus, primatum Sedis Apo-
stolicæ ei obtigisse agnoscit, rogatque, ut
ad ipsum benigne audiendum e fastigio
suo paulum descendat. Repetit dein-
se salvum Papæ primatum velle, & scri-
bendi materiam ingrediens addit: *Omni-
quo possumus, conatu authores dissidii qua-
ramus! Si nos sumus, indica nobis me-
lum, ac remedium ei applica! Si Latini sumus,
haud credimus, vos per ignorantiam, et
scelestam obstinationem ab hæreditate Domi-
ni excludi velle. At nemo non fatebitur,
materiam dissensionis esse dogmatum discre-
pantiam, destructionem Canonum, & im-
tationem ceremoniarum, quas a patribus no-
stris per traditionem accepimus: ac testan-
tur omnes, quod junctis manibus petamus re-
conciliationem, postquam veritas penitus
examinata fuerit, ut ne pars altera alte-
ram schismaticam appellet aut credat au-
plius. Et ut ipsa animi penetralia pervo-
dam, multi potentes, multi nobiles vobis ob-
bedirent, nisi timerent oppressionem, exci-
tionem*

ditiones insolentes, ac indebitas pensiones, quas a subiectis exprimitis. Hinc veniunt horrida bella, vastantur urbes, clauduntur templa, cessat cultus divinus; solum nobis deest martyrium, sed haud procul abesse credimus. Insula Cyprus vidit ea, quæ dicere volo. Loquitur de monachis schismaticis, qui post trium annorum captivitatem ignibus absumpti fuere; & adjungit: Hoccine est, quod docet Petrus, pastores gregem sine vi ac dominatione ducere jubens? Subdit: Scio, quod utrimque nos recte agere, ac neutiquam falli credamus: consulamus sacras Litteras, & scripta Patrum!

Germanus etiam Cardinalibus scripsit, ad procurandam pacem eos exhortans tanquam Papæ consiliarios. *Liceat mihi, ait, vera dicere: nostrum dissidium ortum est ex oppressione tyrannica, quam exercetis, & ab exactionibus Ecclesie Romanæ, quæ ex matre facta est noverca, & calcat reliquas eo immitius, quo abjectius ei se submitunt. Tum proponit in exemplum reprehensionem S. Pauli, quam S. Petrus in bonam partem accepit, ita, ut illa nullam discordiam, sed accuratius examen quæstionis de ceremoniis legalibus inveheret. Subjungit: Offensionem animis concipimus, dum vos bonis terrenis unice addictos undequaque aurum & argentum colligere, ac regna vobis tributaria*

Sæcul. XIII.
A. C. 1232.

Anonym. ap.
Allat. consen. p. 695.

1. Pet. v. 2. 3.

Matth. Par.
p. 388.

Gal. 2.

Sæcul. XIII. *ria reddere videmus. Denique dicit: Multi*
A. C. 1232. *ti populi numerosi nobis adhærent, ac per omnia nobiscum sentiunt, Æthiopes, Syri, Iberi, Lazi, Alani, Gothi, Chazares, Bulgari, & innumerabilis Russiæ gens.*

epist. 5. Gregorius Papa Patriarchæ Germaniæ
to. XI. conc. no per longam respondit epistolam Reate
p. 321. 26 Julii an. 1232 datam, ad suam & Cardinalium intentionem fusius exponendam se illi Religiosos missurum spondens

Sup. Lib.
XXI. n. 28.
Aug. ep. 28.

Ad exemplum S. Petri a D. Paulo rephensi reponit cum quibusdam antiquis, illos ex composito & per artificium charitatis plenum sic egisse, ut Judæos ac Ethnicos ad Christum adducerent. At vidimus, S. Augustinum solide confutare hanc explicationem a S. Hieronymo ablatam. Deinde Papa asserit, Ecclesiam Græcam, ut primum se a Romana sejunxisset, amissa libertate sua potestatis profanæ mancipium factam, paulatim a puritate fidei ac disciplina morum deflexisse. Exprobrationis hujus fundamentum est, quod Episcopi ac omnis Clerus Principibus ac Magistratibus multo subjectiores fuerint apud Græcos quam apud Latinos, & immunitatem Ecclesiasticam veteres intra terminos melius continuerint.

ep. 6. to. XI. Staturus promisso suo Papa sequente
conc. p. 324. anno in Anatoliam quatuor Religiosos
ap. Vading. mendicantes, Hegonem ac Petrum fratres
1233. n. 8.

tres Prædicatores, Minores autem Haimonem & Radulphum misit cum litteris ad Patriarcham Germanum, in quibus schisma Græcorum cum schismate Samaritanorum comparans, inter illos Deum præclaros Doctores, ut S. Chrysoftomum, S. Gregorium Nazianzenum, S. Basilium Magnum, & S. Cyrillum, sicut inter Samaritanos Eliam, Elisæum ac cæteros Prophetas suscitasse dicit. Hoc est Græcorum schisma satis alte repetere. Proponens dein allegoriam de duobus gladiis, affirmat ad Papam pertinere etiam materialem vi verborum J. C. ad Petrum: *Mitte gladium tuum in vaginam!* Insistit figuris unitatis Ecclesiæ, finitque per quæstionem de Azymis, asseverans, per Græcorum panem fermentatum J. C. corpus ante reditum ad vitam corruptioni obnoxium, & per Latinorum panem sine fermento ejusdem corpus gloriosum exhiberi. Dabat 18. Maji an. 1233.

Sæcul. XIII.
A. C. 1232.

Matth.
XXV.

§. XXI.

Litteræ Pontificiæ ad Principes Muslimannorum.

Eodem anno Papa fratres Minores ad sacram expeditionem inter ethnicos misit cum epistola Sultano Damasci inscripta, & 15 Februarii data, qua longam de Religione Christiana informationem

ap. Rain.
1233. n. 16.
Vading. eod.
n. 27.

nem

Sæcul. XIII.
A. C. 1233.

nem permultis legis veteris ac novæ locis confirmatam tradit, ac denique Sultanum ad illius amplexum animat, non se potestatem Principis imminutam vel le, nihilque terrenum, sed solam ejus salutem quærere se affirmans. Simillimas litteras ad Califam sive Principem Bagdetiæ seu novæ Babylonis, & ad Miramolinum Africæ, h. e. Marochii Regem dedit: sed non apparet effectus aliquis, nec expectandus erat. Ad Miramolinum in gratiam Agnelli Fessani Episcopi Ordinis Fratrum Minorum aliam scripsit epistolam, quam finit hac comminatione:

Vading. eod.

Si inimicus J. C. quam amicus esse mavimus, neutiquam permittemus, nec debemus permittere, ut Christiani tibi obediant. Nescis qua ratione hoc dictum cum verbis Apostolorum, ethnicis quoque Principibus morem geri jubentium, & cum primorum sæculorum praxi cohæreat.

VII. ep. 310.
ap. Rain.
n. 24.

Felicis studium Gregorius Papa posuit in permovendis ad Christi cultum Saracenis Siculis inter Italicas Imperatoris Friderici copias militantibus, cui scripsit in hanc sententiam: *Oramus, ut Saracenos Nuceriæ habitantes, ac lingue Italicæ, ut fama fert, satis gnaros per litteras strictè jubeas Fratribus Prædicatoribus quos ipsis mittemus, se humanos ac faciles exhibere, placidas aures commodare, serioque se applicare ad ea, quæ in suam salutem sibi dicuntur.*

didā noverint; & illos, qui se Christianis Sæcul. XIII.
addixerint sacris, tuo tegas præsidio. A.C. 1233.
 Dabat 27 Augusti an. 1233. Et vero rem
 promovit Fridericus, ac multos ad sanam
 fidem traductos esse Summo Pontifici
 nunciavit. Musulmannorum hac in ur-
 be commoratio ei nomen Nuceriæ ethni-
 corum fecit, ut a Nuceria Umbriæ distin-
 gueretur.

§. XXII.

Frater Joannes Vicentinus.

Existimatio & autoritas Fratrum Præ- Sigon. lib.
 dicatorum crescebat indies præsertim XVII. de re-
 in Italia. Bononiæ tunc versabatur Fra- gno Ital.
 ter Joannes Vicentinus, qui suscepto Sa-
 cri Oratoris officio, doctrina & virtute
 sua omnium animos ita sibi conciliavit,
 ut in urbe dominaretur. Cives, rustici,
 artifices, nobiles cum crucibus ac vexil-
 lis eum sequebantur, & omnem suam a-
 gendi rationem ejus solius arbitrio per-
 mittebant: non erat lis, quam non diri-
 meret, vel discordia, quam non placaret.
 Episcopus ipse ac civitas de jurisdictione
 capitali a longo tempore disceptantes
 eum petebant judicem, ejus sententia
 stabant. Cum consensu Magistratum
 e carcere emisit illos, qui ob sola debita
 eo conjecti fuerant, & creditoribus per-
 suasit, ut iisdem multum remitterent.

Hist. Eccles. Tom. XX. K Quo-

Sæcul. XIII. Quodam die in sceneratores tanta animi
A. C. 1233. & virium contentione invecus est, ut
 populus mox ad famosum sceneratorem
 Landulum nomine properaret, ac do-
 mum ejus everteret. Fama sermonum
 illius & miraculorum totam Longobar-
 diam pervadente, ejusdem videndi &
 audiendi gratia ingens ex omni parte con-
 cursus hominum fiebat.

Vita PP.
Prædic. par.
 3. c. 45. p. 55.

Bononienses tanti viri jacturam veri-
 ti, per legationem Patri Jordano genera-
 lia habenti comitia inter alia exposuere,
 Joannem in ipsorum urbe verbi divini se-
 mentem maximo cum applausu sparsisse,
 fructumque speratum per ejus absentiam
 amitti posse. At ille laudato eorum fer-
 vore, non magnopere se dicta ratione
 moveri reposuit. Nam satores, inquit,
 non portant lectum in agrum conse-
 tum, ut ibi cubent, dum videant, quam
 multas sementis fruges proferat: sed
 eam commendant Deo, & alium agrum
 conferunt. Sic expediret forsitan, Fra-
 trem Joannem alibi verbum Dei semina-
 re, secundum illud, quod Salvator dixit:

Luc. IV. 43. *Et aliis civitatibus oportet me evangeli-
 zare.* Deliberabimus tamen hac de re
 nostris cum Definitoribus, & faciemus
 ut merito contenti sitis.

Sigon. p. 44. Gregorius Papa videns, quantam au-
 thoritatem frater Joannes Vicentinus ac-
 quisiverit, ad reconciliandas Italiæ urbes

eum adhibuit, ne Fridericus Imperator diffidentes, Longobardicas præcipue eo facilius in potestatem redigeret. Itaque Joannem suum in Piceno Legatum agere, dein Hetruriam adire iussit, pacemque Florentiam inter ac Senas conficere. Sed cum difficile esset eum Bononiæ cæterisque, quibus charissimus erat, urbibus eripere, Papa sacras illis poenas, nisi eum dimitterent, irrogandas minitari compulsus, sancto illi Religioso per litteras & successum laborum est gratulatus, & ad novos animum addidit, & de infamia innocententi asperfa solatium præbuit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1233.

VII. ep. 68.
218. 130. 287
ap. Rain.
1233. n. 36.
37. 38.

§. XXIII.

*S. Dominicus a Papa Cœlitum albo
adscriptus.*

Quo tempore frater Joannes Vicentinus Bononiæ agebat, translationem corporis S. Dominici procuravit. Duodecim abhinc annis mortui memoriam nullo hæctenus honore coluerant discipuli, immo simplices quidam dicebant sufficere, quod ejus sanctitas cognita Deo esset; ut hominibus nota fieret, minime solliciti. Populus autem variis in morbis Sancti opem implorabat: multi ad ejus sepulchrum diu noctuque hærebant; affirmabant deinde, se sanatos esse, ac pro testimonio cereas oculorum,

Chr. MS.
ap. Boll. 13.
Febr. to. 4.
n. 721.
epist. Ford.
ap. Bzov. n. 5

Sæcul. XIII.
A. C. 1233.

manuum, pedum, aliarumque partium imagines suspendebant. Multi Fratrum Prædicatorum ablata frangebant hæc anathemata, nec fatebantur se miracula illa agnoscere, ne rationibus suis prospicere viderentur. Crescente postea Bononiensium Fratrum numero, cubacula & templum augeri debebant: & dum ædificium vetus destruitur, S. Dominici sepulchrum relinquitur apertum; id quod fratribus consilium suggestit, corpus in decentiorem locum transferendi. Sed non consulto Papa id facere non audebant.

Hic acriter illos reprehendit, quod Patri suo debitum honorem exhibere tamdiu neglexissent: & Archiepiscopo Ravennati, Bononiæ Metropolitano scripsit, ut translationi cum Suffraganeis suis interesset. Advenerat præfixa dies: confluit innumerabilis hominum multitudo, & Bononienses milites stabant armati, ne thesaurus hic auferretur. Metuendum erat, ne feretro solis ardori ac pluvie diu exposito, corpus corruptum fuerit: sed contra remoto, quo tegebatur saxo, ad stuporem adstantium odorem exhalabat suavissimum, & cunctis tangentibus adhærentem. Translatio facta est feria tertia Pentecostes 24 Maji an. 1233. & a Patre Jordano teste oculato enarrata in litteris toti Ordini inscriptis.

ptis. Cæptum dein procedi ad solemnem Sæcul. XIII.
 Dominici in Sanctorum numerum adscri- A. C. 1233.
 ptionem. Eodem anno 1233 Gregorius
 Papa Tancredum Archidiaconum Bono-
 niensem, duosque alios in ejus vitam &
 miracula inquirere jussit: & habemus fi- *Vit. S. Dom.*
 de digna testimonia novem virorum, qui *per P. J.*
 hac super re audiebantur, & omnes erant *Rechac.*
 ex illius discipulis, qui eum familiariter *p. 519.*
 noverant, nec nisi suismet visa oculis, ac
 ex ejusdem ore percepta, in medium af-
 ferebant. Demum anno sequente 1234 *Bullar. to. I.*
 Papa cœlestes illi honores publicosque *Gr. IX. n. 8.*
 solemni ritu decrevit, ut apparet ex ejus
 litteris Reate 13 Julii datis: & Ecclesia *ap. Byzov.*
 celebrat illius memoriam eodem die, quo *1234. n. 1.*
 obiit 4. Augusti. Papa Gregorius hoc *Mart. Rom.*
 anno cœlitum honoribus cumulavit e- *4. Aug.*
 tiam D. Virgilium Archiepiscopum Salis- *Sup. Lib.*
 burgensem an. 780 mortuum, & diem *XLIV. n. 3.*
 Novembris 27, quo decessit, ejus memo- *ap. Rain.*
 riæ dicavit. Diploma dabat 18 Junii *1233. n. 55.*
 an. 1233.

§. XXIV.

Stadingi hæretici.

Anno præcedente in Germania magnus *Cont. Lamb.*
 hæreticorum numerus deprehensus *Schafn. an.*
 est cura Doctoris Conradi Marburgensis: *1232.*
 qui iis examinatis ut Quæstor Pontifi- *Chr. Godef.*
 cius illorum multos igni comburendos *cod. E. 1234.*
 K 3 tradi *Alber. 1234.*
 p. 551.

Sæcul. XIII. A. C. 1233. tradi iussit, & quatuor ex iis in præsentia sua Erfordix. Stadingi vocabantur ex nomine populi ad confinia Frisix ac Saxonix loca fluviis & imperviis paludibus circumdata incolentis. Isti homines ob crimina sua, & inter alia, quod decimas pendere recusarent, Romanis sacris per plures annos exclusi, commota seditione, Ecclesix auctoritatem se contemnere aperte demonstrarunt; & ut erant strenui, populos vicinos, etiam Comites ac Episcopos aggressi, plerumque prædas retulere.

VII. ep. 177.
apud. Rain.
1233. n. 42.

Ecce res abominandas, de quibus accusabantur secundum litteras Gregorii Papæ, Archiepiscopo Moguntino, Episcopo Hildesienfi, & Doctori Conrado missas. Quando novitius a Stadingis admittus primo eorum cœtum adit, bufonem magnitudine anseri parem vel isto majorem videre dicitur, cujus os alii, alii tergum osculantur: tunc novitio se offert homo pallidus nigerrimis oculis & ita macilentus, ut ex pelle ac ossibus solis constet: hunc osculans glacie frigidior sentit, ac post id osculum catholicam fidem prorsus obliviscitur. Celebrato dein convivio felis atra descendit pone statuam, quæ solet in loco esse. Novitius prior felis tergo fert osculum, tum cœtus Præses, ac reliqui hoc honore digni: imperfecti solum Magistri osculum recipiunt.

piunt. Spondent obedientiam, ac extinctis luminibus omne obscœnitatis genus inter se committunt. Quotannis in Paschate acceptum Christi Domini corpus in ore suo domum gerunt, & in fornicam dejiciunt. Afferunt, a coeli Domino injuste ac fraudulenter Luciferum ad inferos detrusum esse. In hunc credunt, dicuntque, eum esse creatorem rerum cœlestium, a præcipitato adversario suo ad gloriam rediturum. Per eum & cum eo se in beatitudinem æternam intraturos sperant. Sic Papa loquitur in epistola, quam dabat 13 Junii an. 1233.

Ultimus hic articulus indicio est, Stadingos e Manichæis ortos fuisse: & quod ad execranda nocturnorum coetuum crimina attinet, similia probra Manichæis Aureliani an. 1022 combustis objecta vidimus. Albertus Stadenſis in Saxonia inferiore Abbas an. 1232 creatus, dicit, Stadingos Ecclesiæ doctrinam spernere, a dæmonibus & magis consilia petere, figuras cereas fingere, Clericos ac Religiosos per atrociam omnis generis tormenta lacerando crudelitatem suam explere, non ætati, non sexui parcere. Ad sectam suam alios, quotquot poterant, præsertim rusticos attrahebant.

Hoc anno 1233 Rex Henricus Imperatoris Friderici filius, Conradus Archiepiscopus Moguntinus, & Doctor Conradus

Sæcul. XIII.
A. C. 1233.

Sup. Lib.
LVIII. §. 53
Chr. 1234.

to. XI. conc.
p. 478.
ex cont.
Lamb.

K 4

duş Lamb.

Sæcul. XIII.
A.C. 1233.
 dus Marburgensis Moguntiam Episcoporum, Comitum & Clericorum conventum convocarunt, homines hæresis infamia laborantes examinandi causa: inter quos Comes Seinius se purgandi spatium poposcit, reliquis haud comparentibus. Qui contra hos armari volebant, iis Conradus crucem dedit. Quæ res existimatos illos hæreticos ita irritavit, ut stru-

Ann. Godof.
1233.
 una cum fratre Gerardo Ordinis Minorum sanctæ vitæ viro 30 Julii occiderunt. Accusabatur Conradus de præcipiti in judiciis suis festinatione, & quod temere nimis sub hæresis obtenta multos nobiles & ignobiles, clericos, monachos, clausos, cives, & agricolas comburi jusserit. Nam eodem, quo delati erant, die eos supplicium subire compulit, haud concessa majoris potestatis imploratione.

to. XI. conc.
app. p. 2346.
 Ad discutiendas has querimonias contra memoriam Doctoris Conradi, qui non carebat defensoribus, & quem hæresis suspicio de quibusdam non fefellerat, conventus celebrabatur. Aderant multi Præsules ac Principes profani: illi, qui de hæresi suspecti fuerant, absoluti, & Conradi interfectores absolutionis obtinendæ gratia ad Papam missi fuere. Is ægerrime tulit, se non consulto causam fidei decidi, & homines, quos Quæstor
 Ponti-

Pontificius tanquam hæreticos infectatus Sæcul. XIII.
 effret, absolutos dimitti. Re diu diffimu- A. C. 1233.
 lata, tandem Archiepiscopo Salisburgen-
 si, Hildesienfi Episcopo, & Buchenfi Ab-
 bati Ordinis Cisterciensis litteras scripsit
 Perusiæ ultimo Julii an. 1235 datas, per
 quas illos cum accusatis hæreticis eo,
 quem inibi præscribit, modo agere ju-
 bet, simulque pœnam indicat Conradi in-
 tersectoribus impositam, ut nimirum in
 proxima expeditione militandi causa ter-
 ram sanctam adeant, & interea in tem-
 plis provinciæ crimine commisso macu-
 latæ terga flagellis cædenda præbeant.

§. XXV.

Decretum contra Albigenfes.

In Occitania quoque vehementer hære- Guil. de Pod.
 tici premebantur, etsi bellum ibi fini- Laur. c. 41.
 tum esset. Fulco Tolosensis Episcopus 42.
 die Christi natali an. 1231 vita functus, Alberic.
 in Abbacia Grandisylvana, ubi mona- p. 541.
 chum induerat, terræ mandatus erat. Post
 paucos dies Canonici Tolosenses in e-
 jus successorem elegerunt fratrem Rai-
 mundum fratrum Prædicatorum in Sa-
 luviorum regione Præpositum Provincia-
 lem, probante electionem Qualterio Epi-
 scopo Tornacensi Papæ Legato. Rai-
 mundus quarta verni jejunii Dominica
 21 Martii an. 1232 consecratus, ante-
 cessoris

K 5

Sæcul. XIII.
A. C. 1233.

Sup. Lib.
LXXIX.
§. 50.

to. XI. conc.
p. 449.
Catel. Comt.
p. 354.

cessoris sui fervorem in infectandis hæreticis imitabatur, juvante interdum Raimundo Comite, interdum languescente. Quare Legatus adjunctis sibi Archiepiscopo Narbonensi & aliquot ejus Suffraganeis Melodunum, quo Comitem Rex vocaverat, delatus in hoc conventu præsentem Rege conquerebatur, quod Comes pacis an. 1229 Parisiis initæ leges plures non observaverit, ut debuisset: ac denique decretum fuit, ut Comes rem totam repararet ex sententia Episcopi Tolosani, ac Equitis a Rege cum Episcopo hunc in finem mittendi. Is erat Ægydus Flajacus, quicum Tolosam advecto Episcopus puncta a se conscripta communicavit, e quibus Comiti explicatis statuta formavit sua. Summa eorum capita sunt hæc.

Omnes nostri Barones, Equites, Prætores, & alii clientes beneficiarii omnem diligentiam adhibento, ut hæretici inquirantur capique ac puniri possint. Hæreticos indagantium interfectores, ac horum complices mox investigantor, ad meritas trahendi poenas. Urbes aut pagi in quibus hæretici inventi fuerint, pro quolibet selibram argenti comprehendentibus pendunto. Omnes domus destruuntor, ubi a tempore pacis Parisiis factæ hæreticus vivus aut mortuus fuerit deprehensus, aut ubi concionem habuerit:

&

& ibi habitantium bona fisco addicuntur. *Sæcul. XIII.*
 Cavernæ munitæ aliaque suspecta loca *A.C. 1233.*
 occluduntur. Omnia bona illorum, qui
 ad hæreticos transferint, publicantur, ita,
 ut nihil eorum hæredibus obtingere queat.
 Proscribuntur etiam bona illorum, qui
 hæreticorum comprehensionem vel im-
 pedierint, vel cum potuissent, non ad-
 juverint, aut eis fugæ locum relique-
 rint.

Quicumque de hæresi suspectus erit,
 fidem catholicam interposito jurejuran-
 do profitetur, alioqui instar hæretici pu-
 niendus. Qui hæresin ejurarunt, in ve-
 stibus suis conspicuas portanto cruces,
 nisi facultates suas in publicum confer-
 ri, vel aliam pœnam convenientem subi-
 re malint. Sectio bonorum fiat, etiamsi
 alienata fuerint in fraudem pœnæ scilli-
 cet, eamque præveniendi causa. Cau-
 turi, ne claves Ecclesiæ in contemptum
 veniant, volumus, ut, qui ab ea exclusus
 per anni spatium manserit, ejusdem re-
 conciliationem efflagitare per facultatum
 suarum jacturam compellatur. Statuta
 reliqua ad pacem pertinent: & inter alia
 ibi vetatur, ne domibus religiosis præfer-
 tim Ordinis Cisterciensis, hæreticis ma-
 xime invisi, violentia, vel sub obtentu ha-
 bitationis molestia afferatur. Hæc sta-
 tuta cum decretis Concilii an. 1229 ha-
 biti cohærentia Tolosæ in cœnobio S. Ste-
 phani

Sup. Lib. LXXIX.

f. 58.

Sæcul. XIII. phani 18 Februarii an. 1233 ante Pascha
 A.C. 1233. promulgata fuere.

§. XXVI.

Concilium Blitterranum.

G. de Pod. c. 42. to. XI. conc. p. 452. Sub idem tempus Legatus concilium
 Blitterris habuit, ubi statuta viginti
 sex capitibus comprehensa, & multas e-

c. 2.

c. 5.

c. 6.

c. 7.

Conc. Lat. c. 5. c. Episc. 4. extra de præb.

jusmodi leges contra hæreticos conti-
 nentia promulgavit. Quilibet privatus
 eos capere, ac Episcopo sistere jubetur.
 Parochus debet habere indicem illorum,
 qui in ejus parœcia de hæresi suspecti
 sunt; atque si Ecclesiam diebus festis
 non adeant, constitutiones contra eos fa-
 ctas accurate observabit, alioquin bene-
 ficium suum amissurus. Concilium agno-
 scit, in his provinciis ad sacros Ordines
 homines prorsus indignos hæcenus ad-
 missos fuisse: quare vult in vitam, mo-
 res ac eruditionem initiandorum sollicitè
 inquiri, eosque habere titulum patrimo-
 nii saltem centum solidorum Turonen-
 sium, qui francos, seu libellas Francicas
 quinquaginta conficiunt. Qui ingenuus
 est ac legitimo ex conjugio natus, si le-
 gere canereque sciat, ad tonsuram admit-
 ti potest. Quia Concilium Lateranen-
 se sub Alexandro III. Episcopum, qui Cle-
 ricum sine sufficiente titulo consecraret,
 ad vitæ sustentationem ei suppeditandam

con-

condemnaverat, ideoque Episcopi sacros Ordines non conferebant nisi jurantibus, se illis haud molestos fore: eam praxin tanquam sacrilegam seu simoniacam Concilium Blitterranum damnat. Præcipit Patronis Ecclesiasticis, seu Parochis primariis, ut in obnoxiiis sibi parœciis Parochos seu vicarios perpetuos cum portione congrua constituant. Vult etiam, ut habentes beneficium animarum cura præditum per ademptionem annuorum fructuum cogantur conveniente tempore se sacerdotio inaugurandos sistere: alioquin utroque indignos fuisse censendos dicit. Clerici status sui privilegio frui volentibus vetatur, ne arma gerant præterquam belli tempore: & hæc duæ conditiones notatu dignæ sunt. Reliqua ad Religiosos spectant, indicantque remissam tunc temporis in monasteriis disciplinam.

Sæcul. XIII.
A.C. 1233.

Sup. Lib.
LXXIII.

§. 21.

c. 8.

c. 11.

c. 12.

c. 13.

§. XXVII.

Universitas Tolosana.

Interim Gregorius Papa Universitatis Tolosanæ institutionem per Tractatum Parisiensem an. 1229 cæptam approbavit tanquam efficacissimum fidei hac in provincia ab hæreticis purgata confervandæ medium. Itaque Academicis Tolosanis eandem, quam Parisiensibus con-

epist. 28.
to. XI. conc.

p. 364.

Sup. Lib.
LXXIX.

§. 50.

Sup. Lib.
LXXV.

§. 26.

Sæcul. XIII.

A. C. 1233.

concesserat, libertatem permittens de-
crevit sequentia. Cives Academicis do-
mos justo pretio secundum æstimationem
per duos Clericos totidemque laicos fa-
ctam elocanto. Magistri, & auditores
eorumque famuli ob commissum crimen
nulli Judici laico obnoxii funto, nisi per
judicium ecclesiasticum curiæ profanæ
relinquantur. Sed laici ab Academicis
coram Judice ecclesiastico pro more Ec-
clesiæ Gallicæ accusari poterunt. Co-
mes Tolosanus ejusque administri & Ba-
rones Academicos ac horum tabellarios
incolumes & ab omni discrimine liberos
servanto. Idem Comes promissum suum
ad Magistrorum per decem annos met-
cedem attinens exolvito. Ista conti-
nent litteræ Pontificiæ Comiti inscriptæ
datæque ultimo Aprilis an. 1233. Ali-
ud diploma ad Universitatem ipsam
missum hæc habet addita. Theologiæ
auditores & Doctores omnes annuis be-
neficiorum suorum fructibus, velut si resi-
derent, fruuntur, exceptis distributioni-
bus quotidianis: & Magistris in aliqua
facultate approbatis ubique sine ullo exa-
mine publicos Doctores agere licebit.

Duboulai
to. 3. p. 249.

§. XXVIII.

Statuta Regis Hungariæ.

Tribus abhinc annis Gregorius Papa
inter Hungaros multas res indignas
non

non sine Religionis detrimento in usu esse Sæcul. XIII.
 compererat. Vide, quomodo de his ad A. C. 1233.
 Robertum Archiepiscopum Strigonien-
 sem 30 Martii an. 1231 scripserit. *Mul-* IV. ep. 124.
ti Christiani exactiōibus intolerandis op- ap. Rain.
pressi, Saracenorum majore libertate fruen- n. 39.
tium superstitiones amplecti, & affinitatis
vincula cum eis nectere non dubitant. Sara-
ceni mancipia Christiana emunt, iis, ut lubet,
abutuntur, ea ad ejurandam fidem sanam in-
ducunt, nec eorum liberos salutari fonte
ablui patiuntur. Interdum Christiani sua-
dente inopia liberos suos ethnicis venundant.
Horum aliqui se Christianos esse simulant,
ut simplicibus imponant, & hac arte acce-
ptas in matrimonium Christianas fœminas a
sacris Romanis abstrahunt.

Cumanorum aliqui Christo nomen
 jam dederunt, alii dare cupiunt: sed em-
 ptos Saraceni tum ad abdicandum ba-
 ptismum permovent, tum ab eo obtinen-
 do impediunt. Quamvis Concilium To-
 letanum vetuerit, ne Judæis publica da-
 rentur munera, in Hungaria tamen &
 Judæis & Saracenis traduntur, atque oc-
 casionem præbent Ecclesiis ac Religioni
 gravia inferendi mala. Hoc Concilium
 Toletanum est tertium an. 389 habitum.
 Papa pergit: *In Hungaria libertas Eccle-*
siastica ita præcisa est, ut laici pensiones &
collectas non tantum iis, qui Ecclesiis sunt
obnoxii, verum etiam Clericis ipsis impo-
 nant:

Sup. Lib.
XXXIV.
§. 56.
Conc. Tolet.
III. c. 14.
to. V. p. 1072

Sæcul. XIII.

A. C. 1233.

nant: adimuntur Ecclesiis bona per Regum liberalitatem a longo tempore possessa; & dicuntur esse inter dona, quæ Rex immensa Nobilibus quibusdam confert. Causæ matrimonii ad Judicem Ecclesiasticum pertinentes ad tribunal profanum deferuntur, quo ipsimet trahuntur Clerici. Quibus malis medendi curam Papa Strigoniensi Archiepiscopo injungit.

Is Regem ad ea tollenda adducere frustra conatus, univèrsa Hungaria interdicto perculsa vetuit, ne divina celebrarentur officia, vel Sacramenta administrarentur præterquam infantibus baptisima, & moribundis poenitentia, Sacrum Viaticum ac extrema unctio. Ut consecrarentur hostiæ ægris præbendæ, quot mensibus in quavis parœcia sacrificium sine cantu peragi permisit. Proscripsit autem, & a piorum societate exclusit illos, qui ad introducendos, vel tolerandos ejusmodi abusus Regem malis consiliis suis permoverant: duos eorum nominavit; tertio idem comminatus est pro futuro die Coenæ Domini. Sententiam tulit mense Decembri an. 1232.

Andreas Hungariæ Rex ad Papam, ut hoc interdictum tolleret, se convertit, qui ei Jacobum electum Episcopum Prænestinum cum Legati potestate misit. Hujus exhortationibus victus Rex in tabulis publicis juravit se observaturum ea quæ

quæ sequuntur. *Judæos aut Saracenos* Sæcul. XIII.
A. C. 1233.
nostro ærario, rei monetariæ aut salinarie
vel collectis deinceps nec præficiemus, nec
cum Præfectis sociabimus, nec per fraudem
agemus quidquam, quod illis ansam oppri-
mendi Christianos præbeat. In universo Re-
gno nostro haud patiemur Judæos vel Sa-
racenos publico quopiam munere fungi, &
ut a Christianis certas per notas distinguan-
tur, curabimus. Non illis concedemus Chri-
stiana mancipia; & singulis annis palati-
num aliquem vel alium e ministris nostris
mittemus, rogante Episcopo Diæcesis, in
qua Judæi ac ethnici seu Mahometani ha-
bitabunt, superius memorata executioni da-
turum.

Haud permittemus, ut ulla de matrimo-
nio vel dote controversia ad Judices proja-
nos deferatur. Volumus etiam, ut Clerici
non nisi coram Judicibus Ecclesiasticis de
quavis materia postulentur, exceptis agro-
rum causis, de quibus Papa consuletur, mo-
nendus tamen, si harum litium cognitio no-
bis subtrahatur, id Ecclesiæ magno detri-
mento fore. Nullam a Clericis collectam
exigemus, nec eorum privilegia violabimus,
ac de pensionibus cæterorum nobis subjecto-
rum consilium Summi Pontificis exquiremus.
Rex Andreas, Bela ejus filius in spem
regni genitus, Colomannus Rex ac Dux
Sclavoniæ, omnes Hungariæ Proceres,
ac summorum munerum administratores

Hist. Eccles. Tom. XX,

L has

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.
has tabulas jurisjurandi religione firmarunt. Sed malam earum executionem anno sequente Papa Andreæ Regi, ac Belæ ipsius filio conquestus fuit.

§. XXIX.

Continuatio negotii cum Græcis.

ap. Rain.
an. 1234. n.
36. 37. &c.
Sup. §. 17.
Narrat. ap.
Rain. 1233.
n. 5. Integra
ex eod. MS.

Sup. Lib.
XI. §. 10.

Quatuor Fratres mendicantes a Gregorio Papa ad Imperatorem Joannem Vatacium & ad Patriarcham Germanum missi, ineunte anno 1234, cum etiamnum annus 1233 ante Pascha numeraretur, in Natoliam advenerunt: duo illorum Hugo ac Petrus Prædicatores, cæteri duo Aimo & Radulphus Minores erant. Antequam Nicæam intrarent, quod Dominica post octavam Epiphaniæ in decimum quintum Januarii incidente factum est, Græci complures, quorum alios Imperator, alios Patriarcha de adventu eis gratulatum miserat, ac demum Ecclesie majoris Canonici procul a moenibus obviam progressi, honorifice illos in urbem comitati sunt. Templum vero primum precandi causa ingredi cupientibus aliud, in quo primum Concilium Generale anno 325 celebratum erat, ibique Patres qui ei interfuerant, in muris depictos monstrarunt. Deinde longas platearum per ambages numerofo stipatos Clero, & magnam populi multitudinem trahentes

in ædem duxerunt Imperatoris jussu ipsis Sæcul. XIII.
 belle præparatam, instructamque affatim A.C. 1234.
 rebus omnibus ad levandam defatigatio-
 nem necessariis.

Postero die Lunæ ad Patriarcham ac-
 cersiti, congregatos inter Clericos me-
 dium Papæ primum, tum suo nomine sa-
 lutarunt, pro honore ac favoribus sibi ex-
 hibitis gratias agentes. Germanus por-
 recti sibi Pontificii diplomatis signum o-
 sculatus, ad suos græce dicebat: *Petros,*
Paulos, Apostolorum capita ibi efficta in-
 dicans. Postea quærebat ex fratribus,
 an essent Papæ Legati, & ut tales hono-
 rari vellent. Negabant illi, & simplices
 se Nuncios professi, considerato Clero tam
 numerofo, ut omnem errorem averterent,
 non ad concilium, sed ad Patriarcham
 solum se missos esse addebant. Qui vel
 minimo Papæ Nuncio magnam deberi
 observantiam asseruit, eosque diuturno
 dignatus colloquio dimisit, per Clerum
 honoris causa domum suam reducen-
 dos.

Sequente die Martis 17 Januarii Im-
 perator eosdem in aulam vocatos ad al-
 loquium admisit præfente Patriarcha &
 magna Cleri parte. Post mutua decoræ
 salutationis officia Nuncii memorata iti-
 neris sui causa, diploma fusius omnia ex-
 ponens Patriarcham accepisse dicebant.
 Rogati, quam haberent potestatem, re-
 sponde-

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

spondebant, consulendum esse diploma, & Papam ratum habiturum, quidquid boni hoc in negotio efficerent. *Ergo ad rem*, subjungebant Græci; & post plures rationes utrimque propositas sciendi gratia, quis ex Græcis vel Latinis disputationem inciperet, Nuncii ajebant: *Non sumus missi disceptatum vobiscum de quæpiam fidei capite, quod Ecclesia Romana in controversiam vocet; sed ut de punctis inter vos dubiis amice colloquamur. Vestrum proin est ea in medium asferre. Quænam illa sint, vos ipsimet dicite*, inquebant Græci. Quos ducere tempus velle videntes Nuncii subjiciebant: *Etsi nostri muneris haud sit, vestras quæstiones proferre; ne tamen tempus perdamus audite, quid Ecclesia Romana maxime miretur! Cum certum sit, Ecclesiam Græcam illi quondam parvisse more omnium aliarum gentium Christianorum: quam causam habuit, potestati ejus subducendi?* Nolebant Græci respondere; sed Nuncios orabant, ut dissidii rationem dicerent. Deprehensis illorum subdolis artibus Nuncii haud ignorantes, eosdem comparationibus oblectari, hoc utebantur exemplo: *Creditorem vobis ac debitorem ob oculos ponite! hic debitum negat: uter alteri reddere rationem debet, quod debitum non sit solutum?* Græci rubore suffusi habita deliberatione reponerent, dissidii causas esse duas, processio-

nem

nem Spiritus Sancti, & Sacramentum Al-
 taris. Tum Nuncii, *si causæ alicæ non sub-*
sunt, inquiebant, *cur Ecclesiæ Romanæ*
obedientiam denegastis? Videamus, an hæc
rationes sufficiant! Adjungebant: *Diffi-*
cilis est hæc materia, nec eam digne tra-
ctando sine cælesti ope pares erimus. Qua-
re crastinum diem precationi dabimus, in
divino sacrificio Spiritum Sanctum invo-
caturi, ut processionis suæ veritatem nobis
detegat. Sed locum precibus dicatum non
habentes, ut Dominus Patriarcha nobis ali-
quem assignet, flagitamus.

Cum templum satis commodum pro-
 pe suas ædes nacti, postero Mercurii die
 ibi sacris operarentur, his multi Franci,
 Angli, & aliarum nationum Latini inter-
 erant, e quorum numero quidam finito
 officio Nuncios alloquens, se, quod ipso-
 rum sacris adfuisset, a Græco Sacerdote
 suo poena sacra affectum esse, deplora-
 bat. Doluit hoc Nunciis, & inita consul-
 tatione duo adierunt Patriarcham, de
 injuria Deo ac toti Ecclesiæ facta con-
 questuri. Ille rem dissimulare volebat:
 sed Nuncios gravissime offensos cernens,
 ipsis hunc Presbyterum una cum ejus so-
 dalibus misit, qui vestibus sacerdotalibus
 exutum per urbem ad ædes Patriarchæ
 reducerunt. Cæteris vero Presbyteris
 rem hominis animo simplici, non mali-
 gno tribuentibus, Nuncii, ne principium

Sæcul. XIII.
 A.C. 1234.

18. Januar.

L 3 nego-

Sæcul. XIII. negotii sui asperitatis specie corruppe-
A. C. 1234. rent, Patriarcham ipsum, ut ei veniam
 daret, orarunt.

§. XXX.

Disputationes Nicænae.

19. *Januar.* Die Jovis Nuncii palatium Imperatoris ingressi, a quaestione de SS. Altaris Sacramento colloquium ordiri volebant, ut scirent, quid Græci crederent de illo, quod Latini consecrant. Sed hi pertinaciter urgebant, ut a Processione Spiritus Sancti caperetur initium. Ergo sic factum. Nuncii, an objicere, aut vero respondere vellent, rogati, *vestrum est*, ajebant, *difficultates, quas hoc in puncto sentitis, proponere; nostrum eas tollere.* *Audietis*, subdidit Patriarcha. Mox Chartophylax, seu is, qui Ecclesiæ Patriarchalis tabulario præfectus erat, in medio confessu se erigens, jussu Patriarchæ ac Imperatoris dixit: *Num creditis unum in tribus Personis Deum esse? Credimus*, inquebant Nuncii. *Creditisne Patrem non genitum, Filium solum genitum, Spiritum Sanctum a Patre procedentem? Credimus.* Tum vero Chartophylax magna simplicitate sublatis ad cælum manibus clara voce bonitatem Numinis deprædicabat; & iisdem verbis haud semel repetitis Nuncios idem responsum dantes audiens, adjun-

adjunxit: *Hic non discrepatis a nobis: Sæcul. XIII.*
Deo sint laudes in omnibus! Ad ea Nun- A. C. 1234.
cii: Nullam de hoc puncto dissensionem Ro-
manam inter ac Græcam Ecclesiam depre- 19. Januar.
hendetis: sed neque de Sacramento Alta-
ris aliquam vos inventuros credimus: non
aliæ tamen schismatis causæ fuerunt: im-
merito proin hæc illi obedientiam renun-
ciavit.

Imperator viris doctis in consilium
 adhibitis, conversus ad Nuncios, audivi-
 mus, aiebat, vos eadem nobiscum loqui: sed
 Dominus Patriarcha quærit, an non plus
 dicatis? Comperimus enim vos aliquid
 addidisse Symbolo, quod Patres in concilio
 composuere, anathematis pœna sancientes,
 ut ne syllabam quidem illi quisquam ad-
 jungeret, aut in illo mutaret. Nunciis, ut
 Patriarcha ipsis symbolum scriptum ex-
 hiberet, petentibus, is respondit: *Hodie*
excusatum me habeatis, velim; sum fatiga-
tus ac æger: cras volente Deo mihi melius
erit, & quod promisi, monstrabo. Sub hæc
 verba discessum est.

Die Veneris vigesimo Januarii peracta 20. Januar.
 re divina & reliquo officio, Nuncii ad Sup. Lib.
 colloquium reversi ante omnia Patriar- XXVI.
 cham, ut promisso staret, rogabant. Qui S. 21.
 doctorum quendam legere iussit S. Cy- Conc. Eph.
 rilli ad Joannem Antiochenum ipsi re- par. 3. c. 34.
 conciliatum epistolam, cujus hoc est ex- to. 3. conc.
 ordium: *Lætentur cæli!* Ex ea legeban- p. 1107.

Sæcul. XIII. tur hæc verba : *De naturæ divinæ cum*
A.C.1234 *humana conjunctione ita loquemur, ut fidei*
expositioni Nicænæ omnino nihil addamus.
Hic dicitur nihil addendum esse, inquiebat
lector: cur ergo vos addidistis? Nuncii re-
spondebant: Sanctus Cyrillus non hic di-
cit, neminem debere quidquam addere, sed se
nihil additurum. Sic Patriarcha promi-

Ibid. p. IXXI. so suo non fecit satis. Græci, quod as-
feruerant, demonstraturi, in epistolæ con-
textu legebant: Nemini permittimus, ut
Symbolum Nicænum ullo modo labeficiat,
aut unicum ejus verbum mutet. Tum Nun-
cii: Nihil mutamus in Symbolo: nihil ei
contrarium dicimus: sed ne illi addatur quid-
piam, haud vetat S. Cyrillus. Quærebant
Græci: Huic Symbolo addidistis quidquam?
Quibus Nuncii: Legatur! Et scietis. Le-
ctum est Symbolum Constantinopolita-
num: & Nuncii additamenti nostri ra-
tionem ex ore Græcorum elicaturi aje-
bant: Symbolum Nicænum antea factum
erat: Et vos asseveratis, nihil ei addendum
esse, ac S. Cyrillum prohibuisse, ne in eo mu-
tetur aliquid: nos igitur primum hoc Sym-
bolum audire volumus. Græci pro viri-
bus obstiterunt. Sed tandem totum Sym-
bolum Nicænum, deinde Constantinopo-
litanum lectum fuit.

Sup. Lib.
XVIII.
S. 6.

Posthæc Nuncii dicebant: *Si verum*
est, quod affirmatis, Sanctos vestros pro-
hibuisse, ne quid addatur Nicæno Symbolo:
quis

quis est, qui ausus fuit adjungere ea, quæ Sæcul. XIII.
 Symbolum Constantinopolitanum insuper A.C. 1234.
 continet? Respondere nolentes Græci di-
 sputationem aliorum vertere conabantur: 20. Januar.
 at Nuncii eo fortius instabant. Denique
 illi post plures consultationes, tentatasque
 varias effugii vias respondebant, hoc non
 esse additamentum, sed veritatis expli-
 cationem. Quærebant Nuncii, an hæc
 explicatio secundum Symbolum a primo
 diversum redderet? Græci negabant,
 per illam vel additamentum vel mutatio-
 nem fieri. Ita Nuncii, quod volebant, ex
 illis expresserunt, cum possent pariter
 dicere, quod vox *Filioque* nihil vel addat
 Symbolo, vel in eo mutet, id solum de-
 monstrandum videntes, quod aliunde ve-
 rum sit, Spiritum Sanctum a Filio pro-
 cedere. Pergebant Græci quærere:
Quid adjunxistis Symbolo? Nuncii sequen-
 do expositionem a Græcis ipsismet factam
 potuissent reponere, quod nihil addide-
 rint: pro majore tamen securitate roga-
 bant: *Licetne nobis credere, quod ad ne-
 cessaria fidei capita pertinet?* Annuebant
 Græci. Et quod licet credere, etiam
 scribere, canere, e suggestu dicere li-
 cet? Assentiebant iidem. *Est autem fi-
 dei veritas, subjungebant Nuncii, quod
 Spiritus Sanctus a Filio procedat. De-
 monstrate,* ajebant Græci: *Sancti vestri
 demonstrabunt,* respondebant Nuncii. Au-

Sæcul. XIII. *diamus S. Cyrillum in sermone primo de*
 A.C. 1234. *Adoratione, ubi dicit: Spiritus nullo mo-*
 do mutabilis est: nam si mutationi foret
 obnoxius, hæc in naturam divinam reci-
 deret, cum ille sit ex Patre simul ac Fi-
 lio, tanquam utriusque effusio substantialis.

De ador. in
spir. to. I.
p. 9.

Conc. Eph.
p. I. c. 26.
n. 10. to. 3.
conc. p. 405.

Et in sua ad Nestorium epistola, cujus i-
 nitium est hoc: *Cum Salvator, sic ille*
scripsit: Quamvis Spiritus Sanctus hypo-
stasin propriam habeat, ac in se ipso co-
gnoscatur, quatenus Spiritus est, & non
Filius: extra hunc tamen non est. Nam
dicitur Spiritus veritatis, ac J. C. est
veritas, & ab hoc sicut a Patre ille per effu-
sionem venit.

Græcos effusionem esse processionem
 negantes Nuncii refutabant per S. Cyril-
 lum ipsum, in expositione Nicæni Sym-
 boli dicentem: *Beati Patres, postquam de*
J. C. locuti sunt, etiam Spiritus S. mentio-
nem faciunt, asseruntque, se in eum sicut in
Patrem ac Filium credere: illum enim es-
jusdem cum ipsis substantiæ, ac eorum ef-
fusionem esse, nimirum ab iisdem procedere.
Et S. Athanasius ad finem expositionis Sym-
boli Nicæni ait: Spiritus S. a Patre pro-
cedens semper est inter manus Patris, a
quo mittitur, & Filii, a quo portatur, &
per quem implet omnia. Hi loci clare
enunciant Spiritum Sanctum a Filio sicut a
Patre venire. Ita finitum est die Veneris
colloquium.

Die Sabbathi, 21 Januarii Græci col- Sæcul. XIII.
 loquio post prandium indicto, quod eum A. C. 1234.
 diem jejuni non agerent, Nuncios per
 Imperatoris ministros acciverunt. Sed 21. Januar.
 quia illos pridie non paucos Patrum lo-
 cos e plurimis libris Græcis Constanti-
 nopoli allatis in testimonium adducere
 viderant, eosdem per quæstiunculas ac
 lites de nominibus capere collatis consi-
 liis statuerunt. Curarunt itaque, ut hoc
 fine philosophus quidam in confessu com-
 pareret. Qui post longam præfationem
 ad Nuncios conversus, *Vestra sanctitas, a-*
jebat, & doctrina, vester pacis ac veritatis
amor nobis perspectus est. Neminem vero
catholicorum suam profiteri fidem pudet.
Dicite proin, a quo, quando, ubi, & quare
vestra vox FILIOQUE Symbolo adjun-
cta fuerit? Haud latuit Nuncios Græco-
rum calliditas, ipsos, quos respondendo
impares putassent, coram hoc coetu in
ruborem dare cupientium. Retorquen-
tes igitur in illos quæstionem, Perbene di-
xistis, inquebant, catholico, quid cre-
dat, palam profitendum esse. Quamob-
rem dicite, an credatis, Spiritum Sanctum
a Filio non procedere? Respondebant:
Non credimus, illum procedere a Filio.
Tum Nuncii: Non hoc est, quod rogamus;
sed an credatis, dicatisque, illum a Filio non
procedere.

Græci

Sæcul. XIII.

A.C. 1234.

Græci id præcise fateri volebant; sed instabant Nunciis, ut ad ipsorum quæstionem responderent. Hi jam intendentibus se primis tenebris, tanti momenti materiam tractandam sibi non esse censebant. Urgebant rursus illi, & in palatio cereas faces & lampades accendi curabant. Ita coacti Nuncii ajebant: *Prima quæstio vestra fuit, quis hoc additamentum fecerit? Nos dicimus, quod Jo. XVI. 13* *sus Christus ejus author fuerit. Ubi? In Evangelio, quando dixit: Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Cur? Ut orthodoxos informaret, ac hæreticos id punctum negaturos pudore suffunderet: nam quisquis hoc non credit, in via interitus est. Hanc veritatem demonstramus per Evangelium, per epistolas S. Pauli, per Patres vestros, per nostros, si eos recipitis, ut Augustinum, Gregorium, Hieronymum, Ambrosium, Hilarium, & plures alios.*

21. Januar.

Ad hæc verba Græci muti, ac velut toti stupefacti hærebant; & Imperator Græce ajebat: καλῶς, hoc est, bene. Post longam vero cum doctis suis consultationem Nunciis, *Monstrate nobis, inquit, ubinam in Evangelio Spiritus Sanctus dicatur a Filio procedere.* Legit itaque eorum quidam hunc S. Joannis locum: *Jo. XVI. 13* *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; & addidit: Dum dicitur Spiritus veritatis, dicitur Spiritus Sanctus*

Etus a Veritate procedere: & hoc est, quod nos probare volumus. Philosophum dein, qui responderet, a Græcis introductum rogabant Nuncii: Quis est ille Spiritus in hoc Joannis loco? Reposuit: Spiritus Sanctus. Et an non Veritas pro Jesu Christo hic accipitur? Veritas, inquiebat, duplicis est generis, propositionum complexarum altera, altera incomplexarum. Cum autem urgeretur, asseruit, hoc loco veritatem creatam intelligi, non Jesum Christum. Postea retexere dictum compulsus est ac fateri, quod Spiritus Sanctus sit Spiritus Jesu Christi. Quærebant Nuncii, cur ille dicatur Spiritus Filii Dei? Græci, cum deliberassent, respondebant: Quia est ejusdem cum Filio substantiæ. Ergo, inferebant Nuncii, cum Pater eandem cum Filio naturam habeat, etiam Spiritus Filii vocari debet, quod falsum est. Tum abierunt: nam media pene nox erat.

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.

§. XXXI.

Continuatio disputationum.

Nuncii Dominica officio divino tradita, die Lunæ secundæ hebdomadis 23^{23. Januar.} Januarii mane palatium ingressi cum Græcis philosophis disceptare cæperant, cum Imperator objurganti similis dixit: Deberetis quæstionis hujus veritatem simpliciter, sine philosophia, & sine syllogismis

Sæcul. XIII. *mis ostendere: hæc disputandi ratio rixas tantum & contentiones excitat. Nuncios reponebant: Servum Domini, ut S. Pat.*

2. Tim. II. 24 *lus inquit: non oportet litigare: malum etiam veritatem simpliciter declarare. Sed*

2. Cor. XII. cum eodem Apostolo possumus dicere: Factus sum insipiens: vos me cõgissis per responsa vestra a solita simplicitate desistere. Quæsimus heri e philosophis vestris, cur Spiritus Sanctus Spiritus Filii ab omni æternitate vocetur. Tres tantum hujus rei rationes dari posse videntur: vel quia est ejusdem substantiæ, ut Doctor vester respondit: vel quia Filius Spiritum Sanctum in res creatas mittit: vel quia Spiritus Sanctus ab illo procedit. Ratio

II.

23. Januar. nem primam confutavimus: secundam destruimus dicendo, quod Spiritus Sanctus a tota æternitate sit Spiritus Filii, nec tamen Filius illum a tota æternitate in res creatas miserit. Superest proin tertia: quia Spiritus Sanctus a Filio procedit.

Hanc rationem scriptam sibi dari volentibus Græcis latine primum, dein Græce rursus ita cupientibus tradidere. Postremo de ea deliberandi spatium postulantibus illum ipsum diem Lunæ ac postero concesserunt. Sub hujus vesperum ad Patriarcham & congregatum ejus Clerum acciti, in longo ad opinionem suam responso, ut ille dicebat, sibi prælecto plura tum falsa, tum puerilia, ridiculaque

diculaque audiere. Nec nisi post consultationem scriptum accipere statuerunt, non solatii sui causa sed Græcis pudorem incussuri. At isti Nuncios id parvi pendere videntes, *Recedite in nomine Domini*, ajebant, *Et hoc scriptum vobis mox mittemus.* Cum abiissent, Græci plurima mutando, & multa addendo tantum temporis consumpserunt, ut illis scriptum novum jam cubitum euntibus mitterent, qui proin ejus translationem in crastinum distulere.

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

Id laboris die Mercurii post sacrificium precesque horarias sibi sumentibus supervenit nonnemo a Patriarcha missus, qui ejus absentiam a proximo colloquio per invaletudinem excusaret. Sed a prandio Imperatoris jussu confessus apud Patriarcham factus. Ante omnia rogati a Græcis Nuncii, an scriptum legissent, nondum esse translatum, ut verum erat, dicebant: se tamen, ne tempus perderent, illud sibi prælegi cupere, ac responsuros esse. Ergo scriptum longum, & contra Imperatoris inhibitionem vocibus Dialecticæ propriis, ac syllogismis plenum recitare quidam philosophorum cæpit, rigide ad hujus artis regulas exigentium, quod Nuncii simpliciter nec in forma ratiocinando protulerant.

25. Jan.

Hos id scriptum strenue impugnantes, suos idem ægre tuentes videns Imperator,

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

Conc. Eph.
p. 1. c. 26.
Sup. Lib.
XXV. §. 22.

25. Jan.

perator, *Omittamus hoc scriptum, aiebat, quod dissidia tantum parit! progrediamur, ac videamus in Patribus veritatem, quam asseritis.* Tum Nunciorum aliquis in libris Græcorum optime versatus, aperto S. Cyrillo nonum hujus anathema legit, quo damnatur, quisquis dixerit, Jesum Christum ad edenda miracula potentiam extraneam a Spiritu Sancto accepisse, cum dici deberet, illum per Spiritum sibi proprium ea patrasse. Et hoc anathema explicans S. Cyrillus asseverat, Spiritum Sanctum a Verbo & per substantiam in Verbo esse. *Jam vero, addebant Nuncii, una Persona divina non potest ab alia esse nisi per generationem, aut processionem. Spiritus Sanctus a Filio per generationem non venit: ergo per processionem.* De hoc argumento Græci etiamnum parumpel litigarunt: dimissus postea conventus.

§. XXXII.

Quæstio de Eucharistia differtur.

26. Jan.

Die Jovis 26 Januarii Nuncii negarunt se deinceps de puncto Spiritus Sancti disputare velle. *Si enim, inquebant, veritati manifestæ acquiescere non vultis, quid possumus vobis proponere amplius? Cum Imperator cras ex hac urbe sit abiturus, nunc eo præsentem de secunda disjunctionis vestra causa loquamur!* Itaque Græci tandem

ægre

ægre consenserunt, ut colloquium de Sa-
 cramento Altaris institueretur, volebant-
 que, ut Nuncii inciperent. Quibus se
 simplice differendi modo, nullaque argu-
 mentatione in forma ufuros esse affirman-
 tibus se contentissimos profitebantur. Ni-
 hilominus disputatione ad alias de azy-
 mo ac fermentato pane quæstiones con-
 versa, tempus frivolis sermonibus usque
 ad prandii horam consumebant. Deni-
 que Patriarcha ad Nuncios, *Ostendite no-
 bis, ajebat, quomodo & in quali materia
 consecretis: & vobis respondebimus.* Cum
 paruisent, inducias usque post sumptum
 cibum petiit.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1234.
 26. Jan.

Confessu post epulas iterum facto, Pa-
 triarcha dixit: *Habemus fratres nostros
 Patriarchas Hierosolymitanum, Alexandri-
 num & Antiochenum, quibus non consul-
 tis ad vestras propositiones nobis respon-
 dere haud licet. Ad medium Martium
 concilium convocabimus: cui ut adsitis, o-
 ramus, & ad ea, quæ protulistis, respon-
 sa nostra audietis.* Nunci subjungebant:
*Nec ad concilium, nec ad alium quendam
 Patriarcham nos a Papa Domino nostro
 missos esse, satis declaravimus. Nec pos-
 sumus injunctum nobis ministerium salva
 ejus ac Ecclesiæ Romanæ dignitate in ul-
 la re excedere. Suademus tamen, ut con-
 voces Fratres tuos, & cum illis prom-
 ptum pacandæ, instaurandæque Ecclesiæ*
Histor. Eccles. Tom. XX. M. confi-

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.

consilium capias. Scribe igitur Constantinopolin, ubi nos usque ad medium Martium commoratueros credimus, ac responsum tuum expectabimus, ut de hoc negotio certum aliquid Papæ indicare possimus. Numen divinum velit, ut nuncium feramus in ejus gloriam, & in communem Ecclesiæ utriusque lætitiâ cessurum. Ita locuti abiere.

27. Jan.

Die Veneris 27 Januarii dicto Sacro Imperatorem discessurum supremo salutationem euntes Patriarcham apud eum viderunt. Ille cum eis deliberare cœpit, qua ratione Patriarcha & Ecclesia Græca Romanæ reconciliari posset. Credendo, inquebant, ac docendo, quod isti credit; nec putamus fore, ut Græcis idem canendum obligandis multum insistat. Conveniret etiam, ut Ecclesia Græca Romanæ deinceps ut ante schisma obediret. Imperator subdidit: Quodsi Patriarcha Ecclesiæ Romanæ obtemperare velit, an jus suum a Papa recipiet? nempe, ut est verisimile, possessionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, tunc a Latinis occupatæ. Ad ea Nuncii: Si Patriarcha Matri suæ obedientiam & quidquid ei debet, præstiterit, majorem opinione sua gratiam a Summo Pontifice ac tota Ecclesia Romana initurum speramus. Tum Imperatore ac Patriarcha valere jussis Nicæa profecti Constantinopolin redierunt.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Sæcul. XIII.

A.C. 1234.

S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis.

In Anglia Sedes Cantuariensis continenter vacabat: Rejctis a Papa Episcopi Cicestriensis ac Prioris nomine Joannis electionibus, monachi Joannem Leblondum Theologum Oxoniensem cooptaverant: sed nec hic Papæ placuit. Nam Romæ divulgatum erat, illum ab Episcopo Vincestriensi mille argenti selibras dono, & alias mille mutuas accepisse ad emenda suffragia. Episcopus etiam Imperatori scripserat, ut Joannem Leblondum Papæ commendaret: qui proinde dixit, armatas preces hominem de ambitu & sacrorum nundinatione suspectum reddere. Præterea Romæ præfens confessus erat, se absque solutione a legibus Concilii Lateranensis duo beneficia cura animarum prædita possidere: quamvis ejus defensores veritatem haud læderent, qui eundem ante concilium illa tenuisse dicebant. Rescissis igitur his tribus electionibus, Papa Sedis Cantuariensis vacationem biennio amplius durantem finiturus, monachis cum Leblondo Romam profectis Doctorem Edmundum Sarisburiensem Canonicum ac thesauri custodem in Archiepiscopum eligendi copiam fecit,

M 2

immo

Sup. §. 9. 15.
Godwin.
Matth. Par.
p. 325.

Sæcul. XIII. immo etiam pallium ei misit, tanto citius
A. C. 1234. functionum suarum exercitium aggressi-
 ro. Verum monachi nec hunc nec alium
 nisi ex consensu communitatis suæ re-
 cipere statuerunt.

Vit. ap. Sur. Edmundus Abindoniæ prope Oxon-
16. Novemb. nium in lucem editus Eduardum Richium
6. 1. 2. mercatorem & Mabilam parentes habuit
 probissimos. Postquam Eduardus haud
 invita conjuge cœnobium Eveshamense
 ingressus fuerat, hæc liberos, e quibus
 natu major Edmundus erat, educandi
 cura in se suscepta, eum ab infantia die-
 bus Veneris jejunio assuefecit, pane &
 aqua contentum esse jubens, atque Pari-
 sios ad litterarum studia eunti duo dedit
 cilicia, quavis hebdomade bis terve in
 usum adhibenda, commendans etiam
 psalterium Dominicis ac festis diebus
 ante sumptionem cibi totum recitandum.
6. 6. Ille virginitatis votum suadente quodam
 Sacerdote coram icone Beatissimæ Vir-
 ginis nuncupatum fideliter servavit. So-
6. 7. rores suas Religiosæ cuidam familiæ ag-
 gregaturus, cum eas non nisi pro certa
 pecuniæ summa recepturam audiret, re-
 cessit, sacrilegum mercatum veritus, ac
 rem committens Deo. Postea monaste-
 rium inops sed disciplinæ tenacissimum
 dari edoctus, Antistitam adiit; quæ præ-
 ventum suo compellans nomine: *Mitte*
curas, ajebat, de sororibus tuis! quid cupias,
divi-

divino admonitu scio. Si esse nobiscum ve-
 lint, admittentur. Et constitit dicto fides. Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

Edmundus domesticis rebus compositis
 cum Roberto fratre suo Lutetiam rediit,
 cæpta studia profecuturus.

Magister artium, sive secundum æta-
 tis nostræ stylum, humaniorum littera-
 rum ac philosophiæ Professor factus, præ-
 ter collegarum morem quotidie preces
 dixit horarias, & ut divino sacrificio di-
 scipuli sui secum adessent, persuadendo
 effecit. Cum artes liberales per sexen-
 nium tradidisset, ac geometriam doceret,
 a matre per somnium Theologiæ operam
 dare iussus, exinde non satis habuit, quod
 sacro interesset, sed singulis noctibus in
 Sancti Mederici templo, ad quod habita-
 bat, Psalmis matutinis astitit. Paucos
 intra annos tantum in Theologia progres-
 sum fecit, ut inter Doctores habitus do-
 cere atque concionari cæperit, ac per ar-
 dorem ad utramque functionem adhibi-
 tum multos e discipulis suis ad monasti-
 cam vitam amplectendam permoverit.
 Sacerdotio inauguratus, austeritates ac
 preces suas auxit, quot diebus semel
 tantum comedens, ac præter divinum e-
 tiam Marianum & pro defunctis officium
 recitans. Ex beneficiis pluribus sibi ob-
 latis non nisi unicum accipere unquam
 voluit, idque cum necessitate residendi
 conjunctum. Denique ut se docendi cu-

C. 10.

C. 11.

C. 12.

C. 14.

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.
ris expediret, sacrisque concionibus liberius se impenderet, Sarisburiensis Canonici dignitatem ac thesauri custodiam suscepit: sed ut a causarum cognitione abesse sibi liceret, a Papa obtinuit.

Is viri fama ad suas usque aures perlata motus, sacrae militiae classicum canere eum iussit, addita facultate, sustentationem ab Ecclesiis, in quibus munere suo fungeretur, recipiendi: qui vero hoc favore non utens impensis suis vivebat. Talis erat Edmundus, cum e Legatis Cantuariensibus cognovit, se in Archiepiscopum electum esse. Denegato consensu, ab Episcopo Sarisburiensi obedire ferio iussus, non prius cessit, quam senexam gravem, nisi pareret, commissurum audiisset. Cantuariam delatus, & quarta verni jejunii Dominica 2 Aprilis an. 1234 in templo Christi Rege Henrico ac tredecim Episcopis praesentibus per manus Rogerii Episcopi Londiniensis consecratus, eadem die cum pallio pastorali, quod ei providus Papa miserat, sacrificium peregit.

Matth. Par.
an. 1234.
p. 335.

c. 15.

c. 17.

§. XXXIV.

Instauratio Cœnobiorum.

Matth. Par.
p. 322.
Vacante Cantuariensi Sede Papa ad Episcopos provinciae litteras dedit monasteriorum instauracionem tractantes, quales

quales per totum orbem Christianum mi-
 sit. Scripsit vero in hanc sententiam. Sæcul. XIII.
A. C. 1234.
 Comperimus, provinciæ vestræ cœnobia
 deterrimum in statum prolapsa esse. Tam
 solutæ disciplinæ culpa in nos ne recidat,
 illis, quæ soli Ecclesiæ Romanæ subje-
 cta sunt, inspectores assignavimus, & ca-
 pita eorum & membra bonam ad frugem
 reducturos. Porro volumus, ut etiam
 vos aut ipsimet, aut per viros idoneos
 monasteria vobis obnoxia lustrantes, quæ
 ibi corrigenda videbuntur, omnia emen-
 detis. Dabat Spoleti 9 Junii an. 1232.
 Cœnobia soli Romæ subjecta recogno-
 scere non Episcopos jussit, sed Abbates,
 Cistercienses præcipue ac Præmonstra-
 tenses, qui tam duriter ac imprudenter
 agebant, ut multi Religiosi ad Romanam
 curiam provocare cogerentur: ubi ma-
 gno labore ac sumptu Censores alios im-
 petrarunt. Demum hæc lustratio in u-
 niversum orbem Christianum plus confu-
 sionis, quam correctionis induxit, mona-
 chos ubique solam S. Benedicti regulam
 sequentes per novas constitutiones adeo
 inter se dissimiles reddendo, ut vix duo
 monasteria eandem agendi rationem te-
 nerent. Ita loquitur Matthæus Paris
 S. Albani monachus; cujus Abbas suis
 juribus seu privilegiis nitens, ut emenda-
 tionem eluderet, dilationem bis petiit, &

*Id. p. 324.
346.*

M 4 duran-

Sæcul. XIII. durante hoc negotio mortem obiit an.
 A.C. 1234. 1235.

§. XXXV.

Præparationes ad Concilium Græcorum.

*Acta Nun-
 cior. MS.
 Vanding.
 1233. n. 12.*

Quatuor Fratres Mendicantes ad Græcos reconciliandos a Papa missi hærebant Constantinopoli, ubi sub medium Martium a Patriarcha Germano cursorem receperunt cum litteris monentibus, ut Lescaram Imperatoris Vatacii villam peterent, quo ille se Præsules ac Patricios concilii habendi causa convocaturum spondebat, inter Nuncios id convenisse, nec eos ibi defore pro certo sumens. Reponebant isti, mirari se, quod Patriarcha loco responsi certi solum indicaret se concilium esse celebraturum, eoque ipsos invitaret. Addebant, se, ne operam susceptam perderent, atque ut charitatis bonum commune privato anteferentis impulsu sequerentur, usque ad finem Martii expectaturos esse, orareque, ut ille, quantum posset, diligentiam adhiberet. Ad finem Martii Patriarcha eis hunc in modum respondit: *Accipi vestram epistolam, quæ non mediocri me dolore affecit. Solus Nicææ sum, neque certi quidquam vobis possum reponere, cum tractatio reconciliationis ac examen fidei generale sit negotium.*

tium. Quod si abeatis, non ad pacem con-
 ficiendam, sed nostros animos explorandi
 gratia vos venisse censebimus.

Sæcul. XIII.

A. C. 1234.

Scripsit etiam ad duos Fratres Mino-
 res tunc Constantinopoli commorantes,
 scilicet Benedictum Aretinum Ministrum
 Romanæ, atque Jacobum Rufcianensem
 Georgiæ Missionarium, rogans, ut Nun-
 cios ad ipsius vota flecterent, hosque, si
 concilio interessent, magno cum gaudio
 Romam redituros promittens. Impera-
 tor quoque Vatacius Nuncios per litte-
 ras oravit, ut sibi paratam, & rebus omni-
 bus ad mare cum Legatis, quos Romam
 missurus esset, trajiciendum necessariis
 instructam navem conscenderent, ac Le-
 scaram ad ipsum venirent.

Interea Latini Constantinopolitani
 auxilio pene omni carebant. Imperato-
 ri Joanni Briennio deerant opes: equi-
 tes cuncti, sub ejus signis stipendia me-
 riti discesserant: Venetæ, Pisanae, An-
 conitanæ, cæterarumque nationum na-
 ves parabant abitum, immo aliquæ jam
 vela dederant. Latini ex omni parte ho-
 stibus cingebantur. Quare Nuncii ad
 Vatacium reverti, & unius anni indu-
 cias inter eum ac Joannem Briennium
 agitare statuerunt. Ne tamen suo tan-
 tum judicio insisterent, Collegium S. So-
 phiæ, regionis Præsules, atque ipsummet

M 5

Joan-

Sæcul. XIII. Joannem Briennium consuluere: qui omnes reditum eis suadebant.
 A.C. 1234.

Itaque verni jejunii tertia, Martii ultima Dominica profecti, transmissio pelago, die Lunæ locum quendam Chalongoram nomine attigere; unde Nicæam ad Patriarcham Germanum per diversos cursores duo apographa seu exempla ejusdem epistolæ miserunt, per quam orabant, ut quamprimum Lescaram veniret, ibi paratos reperturus. Scripsit etiam Imperatori Vatacio, accessum indicantes suum, ac die Lunæ quartæ hebdomadis verni jejunii tertio Aprilis Lescaram advenerunt. Die Jovis accepta Imperatoris epistola, rogantis, ut Nymphæum, ubi eos opperiretur, peterent expectatum Patriarchæ responsum nati Nymphæum se contulere, quo iste die Jovis post Dominicam Passionis delatus est. Cum eum proximo die 14 Aprilis adissent, orantibus, ut negotium mature conficeretur, respondit, se paratum esse, ac præsentibus Præsules idem cupere, ut per solennes dies imminentes in Ecclesiis suis comparere possent. Quibus ejus verbis freti Nuncii suas in aedes cum gaudio redierunt.

Die Lunæ hebdomadis sanctæ duorum illorum petita ratione, quod vocati non fuissent, Præsules nondum convenisse causam, tempus ex tempore ducere videtur.

dentes, vehementius, ut rem absolveret, Sæcul. XIII.
 urgebant. Tum vero iratus, *Næ vos* A. C. 1234.
niri estis homines, inquebat: puncta tri-
ginta sunt, quæ vobis objicere cogitamus:
Et vos momento expediti esse vultis. Fra-
tres vestri veniant, si velint, ut disputatio-
nis initium fiat. Illi ad Imperatorem de-
tulere omnia, eum Præsules ad liberan-
dam promissi fidem adacturum sperantes.
 Verum cæpit hos excusare, quod congregati non essent, & quosdam procul venire, Patriarchamque Antiochenum nondum adesse dixit. *Nec miremini, addebat, eos his precationis ac pœnitentiæ diebus disputare nolle. Rogo, ut expectetis tantisper, dum Præsules ac Patriarchæ adveniant, qui secundo Paschatis die vobis respondebunt. Hanc in moram consensere Nuncii.*

§. XXXVI.

Concilium Nymphæi habitum.

Vigesimo quarto Aprilis secundo Pa- 24. Aprilis.
 schatis die Patriarcha convocatis
 Præsulibus ad Nuncios comparentes dixit: *Nicææ de Spiritu Sancto disseruimus; sed tunc solus eram: modo præsentibus Præsules, qua ratione hæc quæstio tractata fuerit, avidi percipient. Sic quæstionem de Spiritu Sancto quidem repetitam, de azymis autem vitatam sentientes Nuncii*

cii

Sæcul. XIII.

A.C. 1234.

24. Aprilis.

cii cæperunt causam itineris sui, colloquium Nicænum, Patriarchæ promissionem sub medium Martium de Sacramento Altaris responsum mittendi suum, & quoties initas cum ipsis condiciones mutarit, exponere. *Nihilominus vobis nos sistimus, ajebant, nulla pollicitatione nostra, nullo Superiorum jussu obstricti, sed ultro & amore pacis ac reconciliationis, innixi Patriarchæ promisso nos contentos ad Papam remittendi. Tanti spes boni, & fraterna charitas fecit, ut & maris pericula, & itineris diuturni molestias, & temporis jacturam vobis satisfaciendi gratia subiremus. Venimus itaque vestrum audituri responsum.*

Ad quam quæstionem? subjungebant Græci. Ad illam, inquiebant Nuncii, de qua se vos consulturum Patriarchæ spondit: Tum Græci: Non aderamus, non audivimus hanc quæstionem. Nuncii: Audite igitur! rursus quærimus, an non panem azymum in Christi corpus convertere possimus? Græci: Duæ inter nos quæstiones erant, de Processione Spiritus Sancti, & de corpore Domini Nostri. Primum ergo quæstio de Spiritu Sancto, quæ prior est, coram toto concilio tractanda venit. Nuncii: Quid & quo modo hanc ad quæstionem responderitis, perbene scimus: sed responsum de corpore Christi necdum abstulimus; hinc modo a concilio postula-

fulamus. Græci effugere conantes sub- Sæcul. XIII.
 jiciebant: *Non ordiri a materia sublimio-* A. C. 1234.
re esset Theologiæ ordinem invertere. Cum
 de hac ratione sæpius repetita, & a Nun-
 ciis rejecta aliquamdiu disceptatum es-
 set, Patriarcha dixit: *Quoniam nos cogi-*
tis, responsum nostrum ad utramque quæstio-
nem scriptum vobis dabimus. Nuncii eludi
 se videntes reponebant: *Scripti vestri*
rationem non habebimus: viva voce præ-
sentibus nobis respondete! absentibus scri-
bitur. Patriarcha, si ad concilium, aje-
 bat, *totam disputationem Nicænam ex or-*
dine retuleritis, ad quæstionem vestram re-
spondebimus. Nuncii: *Si ad quæstionem*
de azymis panibus respondendo nobis sa-
tisfeceritis, disputationem de Spiritu San-
cto ex ordine referemus. Sub hæc Pa-
 triarcha cæteris cum Præsulibus feces-
 sit, consilii capiendi causa: reversi autem
 dicebant: *Rem differri cupimus usque ad*
diem Mercurii: tunc, ut polliciti sumus,
vobis respondebimus. Cum Nuncii, ne i-
 terum deciperentur, veriti condiciones
 expositas iterassent, discessum est.

Die Mercurii 26. Aprilis Nunciis ma- 26. Apr.
 ne apud Patriarcham in concilio compa-
 rentibus Archiepiscopus Amastrensis in
 Paphlagonia difficultatem proposuit,
 quam dicebat esse obortam sibi e litteris
 Papæ ad Patriarcham Germanum, de *to. XI. Conc.*
 Eucharistia Græcorum & Latinorum ve- *p. 326.*
 lut

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.

ap. Rain.
1233. n. 10.

lut de duplici Sacramento loquentis. Nuncii deprehensa Græcorum arte declinandi quæstionem de azymis, ac disputationem alio convertendi, *Papæ est, in- quiebant, explicare suam epistolam, de qua vos ei scribere potestis.* At illis huic vanæ contentioni ad meridiem usque insistentibus, tandem exacerbati dicebant: *Quandoquidem cernimus, vos studio tempus ducere, responsum ad quæstionem nostram subterfugere, nec audere sententiam vestram edere, vobiscum candide loquemur.* Mala opinio vestra de azymo pane in Sacramentum nostrum converti solito constat primo vestris e scriptis hac hæresi plenis, quam ne detegatis, ad quæstionem nostram respondere non audetis; dein e vestris actionibus, *Lavatis aras vestras, in quibus Latini sacrificarunt.* Quando Latini Sacramenta vestra receptum veniunt, eos Ecclesiæ Romanæ Sacramenta abjurare cogitis. *Sustulisti Papam e vestris dipthychis, quod non minorum cœtu exclusis ac hæreticis soletis facere.* Denique quotannis semel illi anathema dicitis. Ita nobis ii, qui audierunt.

Sup. Lib.
LXXVI.
§. 2.

Tum Chartophylax Constantinopolitanus in medio se confessu erigens, *Postremum falsum est, exclamabat: quisquis hoc dicit, abeat! vel male illi vertet.* Cætera ne miremini! Latini vestri capta Constantinopoli non dubitarunt templa effringere.

re, aras destruere, auferre argentum & au- Sæcul. XIII.
rum, Sanctorum reliquias in mare projicere, A.C. 1234.

eorum imagines calcare pedibus, Ecclesias
in stabula vertere. Patriarcha addidit: Si ^{26. Apr.}

vobis mirum est, Papam in dipthychis nostris
deletum esse, quæro, cur ille me in suis ex-
tinxerit? Te non extinxit, ajebant Nuncii,
quia te nunquam inseruit. An vero Papa
antecessores tuos prior deleverit, scies, cum
legeris. (Nihil ad hæc responsum est) Vio-
lentiam, quam Ecclesie Romanæ perperam
adscribitis, laici a sacrorum communione
sejuncti adhibuere. Illud autem, quod vobis
exprobramus, vos ipsi verbis & factis te-
stamini: vestri Præsules sunt, qui id faciunt
ac docent. Cumque saniora vos cogitare
neutiquam videamus, ad eum, qui nos mi-
sit, revertimur. Sic locuti a concilio a-
biere.

Eodem die post prandium Imperato-
ri omnia fideliter enarrarunt, ut ad ter-
rarum suarum fines usque præsidium i-
psis adjungeret, orantes. Ille, prout e-
rat sagax, & cuius scenæ habilis, ex-
cusare Græcos, ac se correcturos promit-
tere cæpit, addens, si colloquium coram
se habitum esset, rem ad injurias non fuis-
se venturam. Nolim vero, pergebat, ut
mutuo sic infensi vos sejungatis. Vos &
illos pariter super quæstione vestra audire
cupio: controversia amice dirempta redibi-
tis. Adornatæ sunt naves meæ, vos una
cum

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.

26. Apr.

cum Legatis, quos ad Papam vobiscum mittam, in Apuliam vecturæ: nam debito illum honore ac muneribus afficere volo, ut in amicorum, filiorumque numero me ponat.

Nuncii reponebant: *Domine! veritatem te celare nolumus. Per dona tua te Papæ non acceptum reddes, sed cum per unitatem fidei te illi probaveris, etiam munera eidem placebunt tua. Sine illa in filium aut amicum te nunquam recipiet; nec Legatos ei tuos repræsentare audebimus: contrario nos his opponere cogemur. Imperator tristi facie dicebat: Manuel, Theodorus, & plures alii Imperatores durante schismate amicitiae fœdere cum Papa conjuncti erant. Cum vero Nuncii sine spe pacis nihil negotii cum Legatis sibi fore assererent, ergo nullum mittam, ajebat: nec Legatos, nec naves meas inimicis exponere cogito. Tam brevi tempore tolli haud potest schisma, quod trecentos fere annos tenuit. Expectate! cras Præsules alloquar, & ut ad quæstionem vestram respondeant, precabor. Tum Nuncii recesserunt. Trecenti schismatis anni, quos hic numerat Imperator, ad dimidium sæculi decimi Photium inter ac Michaëlem Cerularium ascendunt.*

§. XXXVII.

Concilii continuatio.

Die Jovis 27 Aprilis vesperi Imperator & Patriarcha miserunt, qui Nuncios orarent, ut postridie adirent palatium. Hi proin die Veneris mane congregato concilio intererant. Patriarcha inita cum Imperatore ac Præsulibus consultatione ad Nuncios dixit: *Respondebimus ad quæstionem vestram.* Tum Archiepiscopus Amastrensis ita orsus: *Vos quæritis, an ad Sacramentum Altaris conficiendum panis azymus adhiberi possit? nos negamus.* Et rogantibus illis, an de jure, aut vero absolute id fieri nequeat? respondit: *Absolute.* Scimus enim, Christum pane fermentato usum esse, ac uti jussisse Apostolos. Quam in rem locum S. Pauli ad Corin-
I. Cor. XI.
thios adducebat, addens: *S. Petrus, cæterique Apostoli, sicut id a Christo didicerant, ita quatuor Ecclesias Patriarchales id docuerunt, S. Jacobus Hierosolymitanam, S. Joannes Asiaticas, S. Andreas Achaicas, S. Petrus Antiochenam, & Romæ S. Clementem: nec aliter in Ecclesia Romana primo factum credimus. Hinc solum panem fermentatum, quo Dominus noster usus est, adhiberi posse asseveramus.* Nuncii cum primo Germanum Nicænum Patriarcham, qui Constantinopolitanus vocabatur, dein
Hist. Eccles. Tom. XX. N An-

28. Apr.

I. Cor. XI.

Sæcul. XIII Antiochenum, ac singulos Præfules, an id
 A.C. 1234. crederent interrogassent, singulis affirmantibus, idem scribi, & scriptum sibi dari volebant. Mox Patriarcha Nicænus, *Etiam vos scribite*, aiebat, *Spiritum Sanctum a Filio procedere, idque non credentem in via interitum esse; id scriptum nobis tradite!* Spondentibus hoc Nunciis, ut pars utraque scribendi spatium haberet, res in crastinum dilata, & confessus solutus est.

29. Apr.

Vading.

1233. n. 15.
 to. XI. Conc.
 p. 461.

Die Sabbathi 29 Aprilis post prandium vocatis ad concilium Nunciis utrumque scriptum exhibebatur. Græci eorum solum, quæ pridie asseruerant, nempe locum S. Pauli, & putatam traditionem suam exaraverant; dicebantque: *Scriptum hanc breviter sic volentibus Episcoporum Legatis, quibus plurium verborum patientia deest. Quod si vero authoritas & argumenta petantur, fusius e veteri ac nova lege dabimus. Actum mense Aprili, in die septima, subscribente me Chartophylace (custode tabularii) Sanctæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, jussu Patriarchæ Universalis, & Antiocheni, cæterorumque Præfulum præsentium. Patriarcha Constantinopolitanus est, qui universalis dicitur. Hæc Græcorum fidei professio in concilio lecta, & Nunciis tradita fuit; qui vicissim suum de Processione Spiritus Sancti scriptum illis dederunt. Multo fusius hoc erat, & ita inchoatum: *Pater est Deus**

Vading. n. 6.
 to. XI. conc.
 p. 326.

per se

perfectus in se ipso: Filius est Deus perfectus a Patre genitus: Spiritus Sanctus est Deus perfectus a Patre ac Filio procedens. Procedit autem a Filio proxime, & a Patre interventu Filii: nam Filius habet a Patre, quod Spiritus Sanctus ab illo procedat. Igitur quisquis Spiritum Sanctum a Filio procedere non credit, in via interitus est: Prima, quam adducunt, autoritas est Symboli S. Athanasio adscripti, quod eum in Occidente exulem latine composuisse dicunt. Sed suo loco notavi, hoc Symbolum Vigilio Thapsensi verisimilius attribui. Deinde Nuncii fidei expositionem S. Gregorio Thaumaturgo divinitus suggestam, insuper Sanctorum Gregorii Nyseni, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, ac denique Cyrilli Alexandrini testimonia, sigillatim nonum ejus duodecim anathematatum in Concilio Ephesino approbatorum afferunt. Huic fidei professioni suae nomina subscripsere quatuor Papae Nuncii Rudolphus & Aimo Ordinis Fratrum Minorum, Hugo ac Petrus Ordinis Praedicatorum. Aimo se ibi Ammonium dicit, nomen suum sermoni Graeco accommodans, in quo id scriptum concilio datum est. Nos idem in latina & graeca habemus lingua.

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

Sup. Lib.
XXX.
§. 8.

Sup. Lib.
VI. §. 13.

Sup. Lib.
XXV. §. 22.

App. to. XI.
conc. p. 2336.

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.

§. XXXVIII.

Quæstio de azymis.

29. Apr.

Matth.
XXVI, 26.

Tum Nuncii dixerunt: *Vestrum nobis scriptum tradidistis, quod hæresin continet. Sed quia erroris defensio est, quæ hæreticum facit, scire volumus, an illum per ignorantiam, aut vero ex malitia in medium attuleritis? Et cum Judices non habeamus, agite, consulamus veteris ac novæ legis libros & Patres!* Quæsitis libris, inter omnes assidentes Sacrum Codicem inventum non esse mirati Nuncii quærebant e Græcis, cur assererent, Dominum Nostrum panem fermentatum in corpus suum convertisse? Respondebant: *Quia in Evangelio legimus, eum sumpsisse azotos: azotos vero significat panem perfectum, panem fermentatum.* Nuncii rogabant, an azotos panem fermentatum semper denotaret? *Semper, reponebant Græci, quando solum est: sed interdum vox AZYMUS ei jungitur, sicut MORTUUS voci homo, dum dicitur homo mortuus.* Nuncii urgebant: *num azotos solum positum semper panem fermentatum indicat? Non, subjungebant Græci: sed tunc, cum proprie sumitur. Nam quandoque improprie pro azymo accipitur. Ergo azotos, inferebant Nuncii, promiscue panem significat, & Evangelium nobis æque ac vobis favet.*

favet. In Levitico, ubi de sacrificio pacifi-
 co agitur, ζετος pani fermentato & azy-
 mo applicatur: id nomen proin tanquam
 genus utrique speciei sine discrimine con-
 venit: &, quod consequitur, vestra distin-
 ctio sensus proprii & improprii nulla est.

Nos e contrario per Evangelium de-
 monstramus, Dominum Nostrum panem
 azymum in suum convertisse corpus. Nam
 S. Matthæus dicit, primo die azymorum
 illum a discipulis fuisse interrogatum, ubi-
 nam Pascha sibi parari vellet? Jam edi-
 cite, quisnam fuerit hic primus azymorum
 dies? Erat primus dies ante azymos, re-
 ponebant Græci, explicationem S. Chry-
 sostomi sequentes. At Nuncii pergebant:
 S. Chrysostomus hoc loco ita dicit: Disci-
 puli venerunt ad Jesum pridie azymorum
 vesperi, quo agnus Paschatis immolabatur.
 Igitur illa vespera jam pertinebat ad Pa-
 schatis & azymorum tempus, quo duran-
 te Judæis nec fermentum, nec panem fer-
 mentatum in domibus suis habere licebat,
 ut in Exodo legitur. Christus proin Pa-
 scha suum in pane azymo celebravit: nam
 legem usque ad finem vitæ suæ observabat,
 ut SS. Chrysostomus ac Epiphanius loquun-
 tur. Itaque panem azymum in corpus con-
 vertit suum. Jam vos affirmatis, in istud
 non nisi panem ab illo adhibitum converti
 posse: unde sequeretur, vos in idem conver-
 tere haud posse panem fermentatum, quod nos

Sæcul. XIII.

A.C. 1234.

29. Apr.

Levit. VII.

12. 13.

Matth. 26.

27.

S. Chrysof.

homil. 81. in

Matth. intt.

Exod. XII.

15.

Chryf. ibid.

hom. 81. &

hom. 82. ad

v. 26. Epiph.

hær 30. n. 22.

& hær. 42.

refut. 61.

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

29. Apr.

Joann.
XVIII. 28.

tamen non asserimus. Verum quia Nuncii libros præ manibus non habebant, Græci hæc Patrum testimonia non agnoscentes, illis Evangelium S. Joannis opponerent, dicentis: Judæi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Nuncii respondebant: Non est credendum, S. Joannem Evangelistis reliquis contradixisse: Paschatis cibos Pascha vocavit, ut in prisca lege appellatos legimus: ac Hebræi decimo quinto Lunæ sic loquebantur.

Jam adulta nocte Imperator consensit, ut colloquii finis fieret. Cum nullum tertia Aprilis Dominica & triduo sequente fuisset habitum, Nuncii, quid Græci expectarent, ignari sibi abeundi copiam ab Imperatore peti curabant. Sed iste misit, qui videret, an nulla pacis Romanam inter ac Græcam Ecclesiam reconciliandæ ratio inveniri posset? Illum ad hominem Nuncii, *Scimus*, inquebant, *quid respondere nos Imperatori oporteat, dum ei præsentem erimus.* Itaque postero die in palatium vocatis dixit: *Quando Reges aut Principes de quadam urbe vel provincia controversiam habent, pacis conficiendæ gratia quis de jure suo aliquid concedere solet. Idem vestræ nostræque Ecclesiæ agendum mihi videtur. Duo vos inter ac nos dissidia sunt, alterum de Processione Spiritus Sancti, de Eucharistia alterum.*

Si

Si pacem cupitis, in alterutro nobis ce-
 dite! *Approbamus & colemus Sanctum* Sæcul XIII.
A.C. 1234.
Sacramentum vestrum: Symbolum vestrum
arbitrio nostro relinquite! hoc recitate, ut
nos, reciso additamento vestro, quia offen-
sioni nobis est! Nuncii reponebant: Scito,
Papam & Romanam Ecclesiam ne u-
num quidem jota de fide sua & de Symbolo
nostro dempturos esse! Quomodo igitur,
subjecit Imperator, constituere pacem pote-
rimus? Ad quem illi: Si pacis consilium
vultis, habete! Firmiter credere debetis ac
docere populum, quod panis azymus ut fer-
mentatus in corpus Domini Nostri con-
verti possit, & quod Spiritus Sanctus a Fi-
lio sicut a Patre procedat: Sed Papa vos
invitos non adiget, ut hoc in Symbolo ve-
stro canatis: omnes vero libri huic dupli-
ci vel alterutri doctrinæ contrarii dammandi
vobis sunt & comburendi. Imperator hoc
responso gravissime commotus, nullam, a-
jebat, nullam pacis viam cerno. Convo-
catis proin Præsulibus illorum dicta in-
dicavit, quibus exasperati eisdem arte
aliqua in ruborem dare cogitabant.

Dies Mercurii tertiæ post Pascha heb-
 domadis Maji decimus erat, quo Nunciis to. Maji.
 monebantur, ut postera luce ultimæ con- Vading.
 cillii sessioni adessent, & amicus utrimque 1233. n. 21.
 discessus fieret. Cum in ædium Patriar- to. XI. conc.
 chæ grandi quadam aula plebis agmine p. 464.
 plena januis apertis confessum celebrari

Sæcul. XIII. cernerent, ac confedissent, ille dicebat:

A.C. 1234.

II. Maji.

Quamdiu pacem sperabamus, omnia amoris officia vobis exhibuimus: nunc spe nostra destitutis placidas præbete aures! Et hæc sola dies negotio finem imponet. Addidit: Ecclesie Romanæ fidem nobis scriptam tradidistis: legimus eam, Et in provinciis nostris promulgari curabimus. Sed quoniam nobis ignota est, volumus, ut omnes eam audiant: num contenti estis? Sumus, ajebant Nuncii: Et optamus, ut vobiscum omnis ad ortum regio Ecclesie Romanæ fidem cognoscat Et sequatur.

Tum Græcorum quidam medio in confessu assurgens e grandi papyro Nunciorum fidei professionem legit sed cum mutatione aliqua, quam refutabant. Inerant enim expressiones, quas Græci non intellexerant. Finita lectione isti pro opinione sua quædam Patrum testimonia adducebant, & primum quidem S. Damasi Papæ dicentis: *Quisquis non credit, Spiritum Sanctum proprie a Patre procedere, anathema sit!* Nuncii repetito hoc anathemate, *Nos credimus etiam, inquietabant, secundum S. Cyrillum, quod Spiritus Sanctus a Filio proprie procedat, Et hoc non credentem anathemate percutimus.* Deinde Græci hoc S. Basilii dictum proferabant, quod Spiritus Sanctus a Patre, & non aliunde procedat: id quod Nuncii libenter concedebant, cum a nulla
alia

alia substantia procedat. Denique Græci plures alios Patrum locos afferebant: Sæcul. XIII. A. C. 1234. sed hi contra eosdem maximopere pugnare Latinis videbantur. Cernens igitur Patriarcha, nihil effectum esse, eidenti tumultum populo manu & voce silentium indixit. Nuncii hoc eum ad concitandam contra ipsos plebem usurum rati, eundem prævenerunt, & populum videntes attentissimum dicebant: *An non creditis, Spiritum Sanctum a Filio procedere?* Patriarcha respondit: *Nos credimus, eum non procedere a Filio. At S. Cyrillus, regerebant Nuncii, dum tertio concilio præsidebat, omnes, qui hoc non credunt, anathemate perculit. Insuper asseveratis, panem azymum in Christi corpus converti non posse: id quod hæresis est. Vos itaque tanquam hæreticos, & a recte credentium communione seclusos relinquimus.* Post hæc verba a concilio abeuntibus Græci inclamabant: *Vos potius, vos estis hæretici.*

Nuncii statuerunt eo die nihil cibi prius fumere, quam ipsis Imperator demigrandi copiam fecisset. Fecit, sed mæsto vultu, quasi afflictus acerbo partium discessu.

§. XXXIX.

Nunciorum reditus.

Ergo die Sabbathi 13 Maji Nymphæa 13. Maji.

N 5

mane

ſæcul. XIII. mane profecti continuatis itineribus Do-
A. C. 1234. minica quadam attigere Calamam pagum,
 ubi ſero vespere Imperatoris & Patriar-
 chæ cursores eis supervenerunt. Ille ſal-
 vere juffis ſignificabat, ſibi dolere, quod
 tam ſubito migraffent inſalutato concilio,
 nec fauſta Patriarchæ precatione, ſeu
 benedictione petita. Nuncii repon-
 bant: *Deus in bonum Eccleſiæ ſuæ Impe-
 ratorem ſeruet ſoſpitem! non eſt vero, cur
 de nobis queratur; nam cum ejus venia
 diſceſſimus. Quod permiſſum ac benedictio-
 nem Patriarchæ aut concilii non popoſce-
 rimus, minime nos anxios habet: Impera-
 tori rei cauſæ conſtant. Cursor concilii
 eadem, quæ alter, dixit, addiditque: En
 ſcriptum, quod concilio dediftis! Patriar-
 cha id vobis remittit, orans, ut ſibi illud de
 azymis, quod vobis tradidit, viciffim re-
 mittatis. Idem vobis epiftolam Summo Pon-
 tifici inſcriptam, & totum concilium ſuam
 profeſſionem fidei de proceſſione Spiritus
 Sancti mittit, illius manibus porrigendam.*

Nuncii respondebant: *Scriptum no-
 ſtrum concilio dedimus pro ſpeculo ſervitu-
 rum, in quo fidem Eccleſiæ Romanæ ne-
 mō non videat; ut, qui legerint, perfecti
 credant ea, quæ continet, doceantque, ac ut
 eadem loquamur omnes. Quare hoc ſcri-
 ptum nobis reddi nolumus. Sic etiam illud,
 quod nobis Græci tradidere, noſtrum eſt,
 eorumque fidei ſpeculum erit, Latinorum
 oculos*

oculos offensurum. Hinc vobis non resti- Sæcul. XIII.
 tuemus, sed Papæ ac Ecclesiæ monstrabimus A. C. 1234.
 ut vestri erroris testimonium, nisi hunc ex
 consensu totius concilii retexueritis. Græ-
 ci omisso tunc jurgio, quietem illa nocte
 Nunciis concesserunt: Sed mane iterata
 petitione, nisi obsequentes haberent, se
 eis exitum e regione interclusuros esse
 minitabantur. Sic ad horam tertiam
 usque detenti Nuncii post longam deni-
 que contentionem dicebant: *Sumus in*
vestra regione: quod petitis, per vim nobis
adimere potestis: sed ingratiis nostris habe-
bitis. Hæc locuti recesserunt; eratque
 hora prandii.

Cum utraque pars corpora curaret,
 Nuncii deliberatione, quid sibi agendum
 esset, inita, accitum Imperatoris mini-
 strum rogabant, an impedire ipsorum iter
 fuisset iussus. *Ne Deus hoc siverit,* ajebat
 ille: *hoc absit a Domino meo! Et vero*
procul abest. Promoturus potius iter ve-
strum adveni. Tum comites suos ab Im-
 peratore acceptos vocarunt, ut ipsis pro-
 fecturis equos sternerent: quod fecere.
 At Chartophylax id edoctus, Nunciis, ut
 scriptum redderent, monitis, eorum co-
 mitatum anathemate feriebat, si eis ope-
 ram præstare pergeret. Mox ille Nun-
 ciorum libros deponere, suumque ipsis
 servitium renunciare. Qui impositis si-
 bimet libris portatu facilioribus, cæteris-
 que

Sæcul. XII. que Imperatoris ministro in custodiam
A. C. 1234. traditis, soli ac pedites demigrarunt.

Deserta erat regio, ac sex circiter dierum iter usque ad mare Constantinopolitanum eis faciendum restabat. Sed in divino confidentes auxilio strenue pergebant; cum Græci miserunt, qui viarum difficultatem ac periculum vitæ subeundum illis exponerent, jurarentque, eos, si longius absque duce progredierentur, per viam rusticorum in montibus & sylvis insidiantium necatum iri. Non tamen a cæpto absterreri se passi sunt Nuncii. Sex aut septem millia passuum, seu duas circiter leucas emensos affecutus Imperatoris minister ex equo ad eorum genua se submisit, obsecrans, ut priorem pagum repeterent, atque anathema, & quidquid contra eos dictum vel factum esset, retexi se curaturum spondens. Igitur ex communi consensu vicino in pago subsistebant alii, alii libros quæsitum ibant. Cum in pagum, ubi eos reliquerant, venissent, accessit Chartophylax, omnesque illorum libros & sarcinas exploravit. Quin etiam reduces Nuncios manibus prehenso in conclave duxit, ac solutas eorum sarcinulas perscrutatus, reperto denique Græcorum scripto dicebat: *Teneo, quod quæsi.* Sed id latinam in linguam translatum Nuncii apud se servabant, Papæ allaturi. Græci, quod cupierant, nacti
hospit-

Vading.
1233. n. 23.

hospitibus verborum comitate demulsis Sæcul. XIII.
 abeundi libertatem permisere, postquam A.C. 1234.
 eis epistolam dederant, ad Pontificem
 Maximum duorum Patriarcharum, &
 Concilii Nymphæni nomine scriptam, & to. XI. Conc.
 quid de processione Spiritus Sancti cre- p. 466.
 derent, fusissime explicantem. Unde
 constat, Græcos sibi visos esse de hoc
 puncto quam de azymis sentire sapien-
 tius. Apparet etiam, Imperatorem ve-
 hementius, quam Patriarchas & Clerum
 optasse reconciliationem: sed nempe hoc
 medio Papam a procurando Latinis Con-
 stantinopolitanis subsidio aversum iri spe-
 rabat.

§. XL.

Res Albigensum.

Interea Gregorius Papa Regi Franciæ
 Ludovico de Prætoribus ab ipso in re-
 gionem Albigensum missis conquestus
 fuit. *Ut stupentes audivimus, ait, oppri-* VIII. ep. 360
unt Ecclesias, & Clericos, quos tueri de- ap. Rain.
berent. Subiectis vectigalia, pensiones, la- 1234. n. 13.
boresque serviles, ac errantibus pœnas arbi-
trarias sine Dominorum respectu imponunt.
Occupant prædia beneficiaria, cæteraque bo-
na, ut possessores jurisdictionem ipsorum a-
gnoscerent cogant. Insuper bona Ecclesiis per
Albigeneses adempta sibi tribuunt; nec deci-
siones, donationesve a Comite Montefortio
factas

Sæcul. XIII. factas observant; & pacem secundum statu-
A.C. 1224. ta Concilii Tolosani (an. 1229. habiti)
 jurejurando firmare renuunt. Ne primitiæ,
 decimæque offerantur, ne pia legata fiant,
 aliaque religionis exercitia publico edicto pro-
 hibent. Episcopos Biterrensem & Age-
 thensem calumniis onerant: arces ac bona
 ad eorum Ecclesias pertinentia retinent:
 illos ad agendam in Regia curia causam
 suam contra juris ordinem, ac provincia
 Ecclesiarum morem compellunt. Plures alias
 querelas adjungit Papa, finitque orando
 Regem, ut Curatorem mittat, qui ipsius
 nomine una cum Archiepiscopo Viennen-
 si Sacræ Sedis Legato his malis remedio
 adhibeat. Dabat 2 Maji an. 1234.

Gall. Chr. Archiepiscopus Viennensis erat Joan-
to. I. p. 804. nes Burninus, scientia & virtute excel-
G. de Pod. lens, qui eam sedem ad minimum trigin-
Laur. c. 43. ta quinque annis tenuit. Gregorius Pa-
Greg. Libr. pa legationem contra Albigenses ab E-
VIII. ep. 73. piscopo Tornacensi in eum transtulit, pe-
69. 70. 71. titiitque, ut hoc munere fungentem adju-
76. 77. ap. varent Archiepiscopi Lugdunensis & Bi-
Rain. n. 14. turicensis, cæterique Galliæ Episcopi, Rex
VII. ep. 463 Arragoniæ Comesque Montefortius. Le-
VII ep. 324. gatum etiam jussit in Episcopum Arausio-
Catel. Comt. nensem de crimine non uno accusatum,
p. 316. & in obitum Raimundi Tolosæ Comitis
 inquirere, ut constaret, an poenitentia si-
 gna ediderit, ac sepulturam Ecclesiasti-
 cam sit meritus. Verum hæc indagatio
 non

non nisi post annos tredecim facta est, Sæcul. XIII.
A.C. 1234.
nempe an. 1247.

Quamvis autem Archiepiscopus ampla mandata a Summo Pontifice accepisset, & quartana laboraret, illum tamen adiit de statu provinciæ distinctius edicturus. Tum multas sanctiones ut Inquisitor condidit; inter alias, ut ii, qui sincere ad bonam frugem redirent, atque tam de se quam de aliis vera dicerent, moderatas darent pœnas, neque vel sibi vel bonis suis metuerent, dummodo lapsum non iterarent.

Durante Episcopi Tornacensis legatione Papa inquisitionem Fratribus Prædicatoribus, scilicet Petro Cellano, & Guilielmo Arnolde injunxerat: qui quosdam Tolosæ hæreticos capite damnantes tam exosos ibi se reddiderant, ut & ipsi, & sacra eorum familia tota, quin etiam Episcopus inde cedere cogerentur. Legationem obeunte Archiepiscopo Viennensi Fratribus Prædicatoribus tanquam nimium terrificis in negotio inquisitionis Collega dabatur quidam Fratrum Minorum, eorum severitatem temperaturus. Clementia quoque fuit, per quam Inquisitores jussi sunt eorum, quos audire vellet, loca petere, ne hi de illata sibi molestia conqueri possent, si procul inde advocarentur. Coepta hac agendiratione Castrum novum delati, multos e vicinia homi-

*G. Pod.
Laur. c. 43.
Catel. Comt.
p. 358.*

Sæcul. XIII. homines utriusque sexus vocarunt: sed
A.C. 1234. isti consilia inter se tam scite contulerant,
 ut Inquisitores ex ipsis vix quidquam lu-
 minis elicerent. Quare Puteum Laurentii subito adierunt, cujus incolæ nondum aliqua conspiratione facta satis candide loquebantur. Demum e curia Romana litteræ venerunt, per quas inquisitio diu suspensa mansit.

§. XLI.

Concilium Arelatense.

to. XI. Conc. Eodem anno 1234. 8. Julii Joannes Bos-
app. p. 2339. sanus Archiepiscopus Arelatensis
Gall. Ch. to. I concilium provinciale habuit. Fuerat
p. 57. Archidiaconus Massiliensis, dein Telo-
 nensis Episcopus, demum anno 1232. in
 Sedem Arelatensem evectus, quam quin-
 que ac viginti annis tenuit. Hoc in con-
 cilio viginti quatuor canones, maximam
 partem contra hæreticos edidit, Concilio
 Lateranensi anni 1215. & Tolosano anni
 1229 morem gerens. Episcopi catholi-
 cam fidem tum ipsimet, tum per alios
 populo frequenter exponere jubentur.
 Prohibentur sodalitates, nisi per authori-
 tatem Episcopi instituantur, eo quod hoc
 nomine conspirationes contra tranquilli-
 tatem publicam fierent. Communione
 priorum ejectus, qui per mensem non fa-
 tisfecerit, pro quolibet mense cunctatio-
 nis

c. 2.

c. 9.

c. 13.

nis quinquaginta solidos pendendo, priusquam absolvatur, pœnas dabit. Episcopi corrigendis moribus præsertim Cleri solícite studebunt, & hoc sine inspectores in sua quisque Dicecesi constituent. Immunitate donatis, qui Præsulum sententias & castigationes abnuerint, jus suum pariter denegabitur. Cum hæctenus hæreticis fautores sui aliqua legaverint, Concilium vetat, ne quis testamentum nisi præsentem Parocho suo condat. En causam hujus statuti in conciliis illorum temporum tam frequentis!

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

c. 14.

c. 17.

c. 21.

§. XLII.

S. Ludovici nuptiæ.

Anno præterito Ludovicus Franciæ Rex Margaritam Raimundi Berengarii Provinciæ, seu Saluviorum Comitis filiam natu majorem in conjugem petierat; & quoniam in quarto gradu consanguinei erant, legis gratiam ipsis faciendam a Summo Pontifice per legatum efflagitavit, connubii hujus utilitatem ad conservandam Provinciæ pacem & Religionem Catholicam exponens. Per Pape litteras 2 Januarii an. 1234. datas voti compos factus, sub finem Maji anno ætatis vicesimo Senonibus nuptias celebravit. Archiepiscopus Gauterius fuit, qui Sponfos fausta precatatione conjunxit.

*VII. ep. 41.
ap. Rain.
n. 16.*

*Gesta
S. Lud.
Duchesne
p. 331.*

Hist. Eccles. Tom. XX.

O ac

Sæcul. XIII. ac novæ Reginæ solenni ritu coronam
 A.C. 1234. imposuit. Aliquanto prius Religiosus vir
 quidam falso edoctus, Regem concubinis
Vita S. Lud. uti non infcia Regina Blanca matre sua,
 c. 4. rem ad istam Principem stupens ac ex-
Ibid. p. 446. probranti similis detulerat. Illa & se &
 filium innocentem esse cum modestia af-
 firmabat, hæc addens verba: *Regem fi-*
lium meum præ cunctis hominibus amo: si
tamen ex mortifero morbo decumberet, at-
que mihi promissum fieret, eum per unicum
cum fœmina peccatum sanitati restitutum iri,
 c. II. p. 448. *eundem mori mallet.* Rex Ludovicus jam
 inde a nuptiis suis consentiente Regina
 uxore secundum veterem Ecclesiæ mo-
 rem ab usu conjugii se continebat per to-
 tum tempus Dominico adventui sacrum,
 totumque jejunium vernum, certis heb-
 domadis diebus, in pervigiis ac feriis
 majore religione ac ceremonia celebrari
 solitis, & biduo triduove ante ac post di-
 vinum convivium. Matrimonium sane
 Coelo gratum dignumque, ex quo sex fi-
 lii, & quinque filiæ prodirent.

§. XLIII.

Stadingorum clades.

Sup. §. 27. In Germania Stadingis hæreticis stra-
Alb. Stad. gem intulere sacri pugiles, qui hunc in
 an. 1234. finem anno priore tesserariæ crucis mi-
Hist. Arch. litiam inierant, & Gerardi II. Archiepisco-
Brem. p. 709

pi Bremensis, Henrici Brabantiae Ducis, ac Florentii Bataviae Comitis imperium auspiciūque sequebantur. Procedebant in aciem die Sabbathi 24 Junii ad subigendos Ecclesiae hostes, vel ad mortem pro ea subeundam inductis animis: contra Stadingi eorum multitudine non terri, sed magis in furorem acti contra Ecclesiasticam potestatem impias voces evomere non cessabant. Comes in eos fortiter invehebatur, Clero interim seorsum sacrarum precum cantibus divinam bonitatem ad tribuendam suis victoriam commovente. Hæretici numero obruti, ac vulneribus confossi equorum pedibus obterebantur, ita ut intra breve temporis spatium sex millia perirent: multos fugientes Visurgis hausit: cæteros victor insequens disperfit, qui suorum decem circiter amiserat. Posthæc Stadingi in Dioecesi Bremensi residui a Papa, ut ipsos absolvi juberet, suppliciter postularunt, quod Ecclesiae se submittere ac satisfacere parati essent, profitentes. Ille eos voti damnavit, ut ex ejusdem litteris ad Archiepiscopum & Canonicos Bremenses 21 Augusti an. 1235. scriptis apparet.

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

Privil. arch.
Hammab.
p. 197.

Secul. XIII.
A.C. 1234.

§. XLIV.

*Guilielmus Papæ Legatus in Li-
vonia.*

*VII. ep. 558.
ap. Rain.
n. 43.*

Interim ad confirmandas in fide novas septentrionum Ecclesias Papa Guilielmo Episcopo Mutinensi legationem detulit, ut docet illius epistola ad omnes Christianos Livoniæ, Borussiae, Gothiae, Finniæ, Estoniæ, Semigalliæ, Curoniæ, aliarumque provinciarum adjacentium. Est autem scripta in hanc sententiam: *Venerabilis Frater noster Guilielmus Episcopus Mutinensis a Sancta Sede pridem missus ad Evangelium vestrarum regionum ethnicis promulgandum, magnum eorum numerum Christo adjunxit: sed amplam messem restare videns, & copiosiores colligere fruges fervide desiderans Diæceseos Mutinensis onere a nobis expediri vehementer cupiit, ut se vobis totum daret, sique foret opus, sanguinem suum pro vestra salute profunderet. Quare legationem a nobis Episcopo Semigalliæ impositam in Mutinensem deoneramus, ita ut pleno jure præditus vestris in provinciis Episcopos constituere & consecrare, aut in alias transferre, sedes, Diæceses conjungere aut dividere, & facere omnia possit, quæ Deus ipsi inspiraverit. Dabat 21 Februarii an. 1234.*

Ut

Ut vidimus, novem abhinc annis, ex-
eunte anno 1224. Honorius Papa Episco-
pum Guilielmum in easdem provincias
legaverat. Hoc autem anno 1234. is
Præsul Episcopatum Mutinensem reapse
abdica-
vit. Unius e spectatissimis Muti-
næ civibus, Gerardi scilicet Bosquetii fi-
lius Albertus, Ordinis Fratrum Prædica-
torum, magna sanctitatis fama clarus, in
Guilielmi locum concordibus suffragiis
consentiente Clero ac populo 3. Aprilis
substitutus, & Papa electionem ratam
habente die S. Barnabæ sacra 11. Junii
eodem anno 1234. communi urbis gau-
dio inauguratus, sedem Mutinensem an-
nis triginta tenuit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1234.

Sup. Lib.
LXXIX.
§. 5.

Ital. Sac.
to. 2. p. 156.

§. XLV.

Ecclesia Hispaniæ.

Religio etiam in Hispania progressum
faciebat per arma victricia Ferdinan-
di Castellæ Regis, qui in Andalusia mul-
ta Mauris loca ademerat, postquam Gre-
gorius IX. Pontifex Maximus Cardinalem
Joannem Abbavillum Episcopum Sabi-
nensem anno 1229. in Hispaniam mise-
rat, qui sacræ militiæ classicum ibi cane-
ret. Inter alia loca Ferdinandus occu-
pavit Quesadam, Biatiam, Anduxariam
& Martum arcem, qua Equites Calatra-
venses donavit. Hoc autem anno 1234.

Boll. 30.
Maj. to. 18.
p. 317. 319.
Ughel. to. 1.
p. 193.
Sup. Lib.
LXXIX.
§. 58.

Roder. XI.
c. 15.

O 3

Ubeda

Sæcul. XIII. Ubeda civitate, ac per Principem Alphonsum fratrem suum prope Xeram & veteris Astæ Regiæ monumenta ingenti victoria potitus, usque ad Cordubæ moenia viam apertam habuit. Interim Gregorius Papa compertis tam prosperis belli successibus Roderico Toletano Archiepiscopo scripsit, ut ex autoritate Sanctæ Sedis Episcopos, prout expedire viderit, constitueret in urbibus, quæ id honoris olim habuissent, ac tunc mererentur. Dabat Reate 26. Junii an. 1234. Post quatuor aut quinque annos Ferdinandus Scholam Palentiæ a suo Patre Alphonso Legionis Rege erectam, ut suo loco dixi, Salamanticam transtulit, in eodem Legionensi Regno, sed amœniore simul & commodiore loco sitam, quæ progressu temporis celeberrima Hispaniæ Universitas evasit.

A. C. 1234.

VIII. ep. 137
ap. Rain.
n. 50.

Sup. Lib.
LXXVI.
§. 28.

Mariana
XIII. hist.
c. 1.
Boll. to. 18.
p. 308.

§. XLVI.

Sanctiones Gregorii IX. Decretales dictæ.

Annus 1234. fuit, quo Gregorius Pontifex Maximus Sanctionum seu Decretalium collectionem in publicum edidit, quæ nomen ejus præ se fert, & maximam postea auctoritatem habuit. Quinque jam numerabantur decretalium, quas Summi Pontifices dederant, epistolarum

larum collectiones; singulæ post Gratiani congestionem factæ fuerant; prima per Bernardum Balbum Ecclesiæ Ticinensis Præpositum, dein Episcopum Faventinum, postremo Ticinensem, postquam S. Lanfranco suo Magistro successerat. Juris Canonici, cujus erat peritissimus, libros quinque composuit, ac decretales, canonesque quorundam conciliorum usque ad annum 1190. collegit. Alteram collectionem inchoarunt Gilbertus & Alanus, absolvit Gallus Volaterrensis, a quibus nomen gerit. Tertiam e tabulis actorum Innocentii III deprompsit Bernardus Magnus Archidiaconus Compostellanus; recognovit Petrus Beneventanus Papæ scriba seu Notarius sub annum 1210. Post quinquennium Innocentius Papa quartam fieri curavit e suis rescriptis seu responsis, ac ex decretis Concilii Lateranensis, cui eodem anno 1215. præfederat, compositam. Quinta constabat e constitutionibus Honorii III, qui eas a Tancredo Archidiacono Bononiensi congeri, & a tribunalibus scholisque observari iussit.

Ex omnibus his collectionibus Papa Gregorius IX. suam confici voluit per S. Raymundum Pegnafortium Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui ei tunc a facello & a confessionibus erat. Decretales ibi quinque in libros distributæ sunt,

O 4 &

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.

*Petri Pith.
Synops. hist.
Edit. An.
Aug. init.
Ital. Sac.
to. 1. p. 31.
to. 2. p. 52f.*

*Edit. Innoc.
Ciron. 1645.
tit. 1. c. 1.*

Sæcul. XIII.
A. C. 1234. & quilibet multos continet titulos, in quibus illæ ex ordine temporis sunt collocatæ: id quod prioribus in collectionibus factum non fuerat. Hæc ultima principium inde duxit, ubi Decretum Gratiani finem habebat: hæc, inquam, initium capit ab Alexandro III; ac decretales non nisi per compendia allatæ cujusque tituli materiam hic sequuntur; sed primas conservant voces, per quas jam erant cognitæ. Hanc Papa collectionem Bononiensis Academiæ Doctoribus simul & auditoribus destinavit per epistolam, in qua dicit, se in unicum volumen redigi curasse antecessorum suorum constitutiones, eo quod prius in plura dispersæ, cum fusæ nimium aut similes aut contrariæ essent, confusionem peperissent, & quarundam extra codices illos inventarum auctoritas a Judicibus in dubium esset revocata. Addit, suo jussu inutilia de prificis sanctionibus recisa, suasque quibusdam quæstionibus dubiis adjunctas fuisse: se velle, ut curiæ scholæque hac sola collectione uterentur, nec alia fieret sine Apostolicæ Sedis auctoritate. Similes litteras ad Doctores Parisienses dedit Spoleti 5 Septembris an. 1234. Impleta ejus intentio, & collectio tam bene recepta fuit, ut ab illo tempore simplex Decretalium nomen haberet.

VIII. ep. 218
apud. Rain.
n. 26.

Alber. an.
1234. in fi.

§. XLVII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1224.*Conventus Spoletanus.*

Postquam Gregorius Papa, Fridericus Imperator, Latini Patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, multi Archiepiscopi, ac Episcopi, aliique Præsules Spoletum convenerant, post maturam deliberationem decreta fuit apparatus belli contra ethnicos, quia induciæ ab Imperatore cum iis factæ post quadriennium finem habituræ erant. Anno 1232. Papa revocaverat Geroldum Patriarcham Hierosolymitanum de concitata vel nutrita saltem inter Latinos terræ sanctæ Christianos discordia accusatum. Revera Joannes Be-

Ric. S. Ger.
*an. 1232.**Sup. Lib.*
LXXIX.
*§. 48.**VI. ep. 65.*
ap. Rain.
1232. n. 44.

O 5 discor-

Sæcul. XIII. discordiæ incommodis ob oculos positis
 A. C. 1234. præceperat, ut cum Magnis Equitum
 Templariorum ac Hospitalariorum Ma-
 gistris conaretur Regni Nobilium ordinem,
 ac Ptolemaidis incolas ad obedientiam
 Imperatori præstandam reducere. Hic
 Antiochenus Patriarcha erat Albertus,
 antea Episcopus Brixianus, post Raine-
 rium anno 1229. Antiochenæ Sedi im-
 positus.

Alberic.

p. 548.

Ughell. to. 4.

p. 743. 744.

Rub. hist. 7

Raven. lib. 6.

p. 407.

Rain. 1234,

n. 32.

Nunc in conventu Spoletano Papa ex
 condicto cum Cæsare novum in terram
 sanctam Legatum misit, qui dissidentes
 Latinos reconciliaret. Is erat Theodo-
 ricus Archiepiscopus Ravennas, cujus
 causa ad Episcopos, Abbates aliosque
 Regni Hierosolymitani Præfules scripsit,
 ut eum hac in dignitate exceptum in pro-
 curanda regionis pace adjuvarent. Da-
 bat Spoleti 8. Augusti an. 1234, ac eo-
 dem tempore Imperator ad Barones, E-
 quites, ac populum Ptolemaidis litteras
 misit in gratiam Archiepiscopi Ravenna-
 tis, ei tanquam suo pariter Legato, ut Pa-
 pa faciebat, potestatem tribuens concor-
 diam a Patriarcha Antiocheno jam red-
 integratam confirmandi.

Vita Greg.

ap. Rain.

n. 27.

Interim Papa bello sacro edici jussu
 daturus initium, Spoleti populum magno
 in foro, quo catervatim confluxerat, ipse-
 met ad piam militiam animavit tam for-
 titer, ut mox ingens numerus in lachry-
 mas

mas solutus e manibus ejus crucem acciperet. Litteras hac super re quaquaversus misit ad Principes, Præfulesque: quas S. Ludovico inscripsit, dabat sexto Novembris, exhortans eum, ut pararet ipsemet aut per suos terræ sanctæ auxilio venire in communi maris traiectione, quæ per sanctam Sedem constituta fuerit: orabat simul, ut interea cum Anglorum Rege (huic eodem fine scripsit) pacem jungeret, aut saltem inducias prorogaret. Circummisit etiam ad universos Christianos epistolam hac de materia Spoleti 4 Sept. datam, cujus exemplum in Angliam missum præ manibus habemus. Extollit ibi bonitatem Dei pro ratione temporum noxarum reis diversa justitiæ suæ satisfaciendi media offerentis: ita terram, aiebat, in qua vitam duxit, ethnicorum armis subigi passus est, ut hac occasione multi homines delicati, qui satisfactionem cum peccatis suis congruentem præstare vel nequirent, vel nolent, ideoque in desperationem incidissent, intra modicum tempus longam complerent poenitentiam, vitam pro Christo dantes. Deinde Papa sacris militibus poenas pro peccatis debitas eondonat iisdem conditionibus, iisdemque omnino verbis, quibus id Papa Innocentius III. in epistola anno 1213 circum missa fecerat. Renovat etiam anathema ultimi

Sæcul. XIII.
A.C. 1234.

Matth. Pav.
1234. p. 337.
to. XI. conc.
p. 331.

Sun. Lib.
LXXVII.
f. 17. 56.

to. XI. conc.
Conci- p. 232.

Sæcul. XIII. Concilii Lateranensis contra illos, qui
A.C. 1234. ethnicis arma vel naves subministrarent.

§. XLVIII.

Seditio Romanorum contra Papam.

Matth. Par. Eodem tempore Summus Pontifex Roma
an. 1234. pulsus adversus Rebelles incolas
p. 344. undique auxilium postulabat. Præcipua

tumultus causa erat, quod affirmarent, se habere immunitatem veterem, per quam Papæ non liceret ipsos anathemate ferire, nec urbem interdicto afficere: ad quæ ille respondit, se Christianorum omnium, etiam Regum ac Imperatorum caput esse; multo magis eorum, quorum pastorem peculiarem ageret. Profana insuper momenta materiam huic diffidio præbebant in bellum apertum verso sper-

VII. ep. 394. nentibus poenas sacras Romanis. Sic
ap. Rain. n. 7 Papa ad Archiepiscopum Rothomagensis scribebat 5 Decembris an. 1234, addebatque: *Quandoquidem hic non modum privatum, sed Ecclesiæ causa communis agitur; expresse tibi præcipimus, ut idoneam militum manum nobis mittas, adversarios ita repressuris, ut alii deinceps contra Ecclesiam nolint insurgere.* Misit etiam litteras ad cæteros Galliæ Hispaniæque Archiepiscopos; ad Reges Castellæ,

Ibid. n. 9.

stellæ, Arragoniæ, Navarræ, ac Lusitaniæ, ad Comites Barcinonis, & Ruscinonensem, atque in Germaniam ad Ducem Austriæ. Ita Grandes pecuniæ summas a Præsulibus cismontanis obtinuit, sed non ante rei exitum: hinc eas integras restituit. Fateor me non videre, quid universalis Ecclesiæ interfuerit Summis Pontificibus profanum Romæ dominatum, quo per tot sæcula caruerant, conservare.

Sæcul. XIII.
A. C. 1235.

Mense Majo sequentis anni 1235 Romani pacem cum Papa junxere per pactiones, quibus spondebant, se illi satisfacturos esse pluribus pro rebus; inter alias pro palatio Laterano, & quorundam Cardinalium domibus direptis, ac pro suscepto consilio, Papam in urbem non admittendi, nec ponendi arma, nisi certas pecuniæ summas ipsis redderet. Deceverunt etiam, ut omnes Ecclesiastici, & domestici Papæ ac Cardinalium, item extranei Clerici laicique, qui sanctam Sedem aut Apostolorum templa adeundi gratia venirent, a potestate profanorum Judicum liberi essent, atque a Senatu protegerentur.

*Ric. S. Ger.
an. eod. ap.
Rainald. n. 4*

In hoc contra Romanos bello Imperator Papæ, & hic illi vicissim copias suas commodavit, Regem Henricum filium suum natu maximum in Germania seditionem ciere ausum ad officium reductu-

ro.

Sæcul. XIII.
A.C. 1235.

Alb. Stad.
1235.
Vita Greg.
lib. VIII.
epist. 461.
ap. Rain.
n. 8. 9.

ro. Ad Cæsaris preces Papa 13 Martii an. 1235. Episcopis, cæterisque Imperii Principibus scripsit, orans, ut ne Henricum rebellem ullo subsidio, consiliove aut favore juvarent, ac juramenta omnia eidem dicta esse nulla declarans. Rex juvenis se submisit, & Cæsaris patris sui jussu in Apuliam advectus inclususque arci post annos septem ibi mortem optulit.

Sic Papa Cæsaris benevolentiam fovēbat, eum ad bellum sacrum animaturus: & insuper hujus obstacula tollendi causa curas eo convertit, ut urbes Italiae & inter se & cum illo Principe reconciliarentur. Eo fine Legatos misit in Hetruriam quidem Cardinalem Jacobum Pecorarium Episcopum Prænestinum, qui Florentiam, Senas & Urbem veterem per consilia hominum pravæ mentis distractas pristinam in concordiam reduceret; in Lombardiam vero Patriarcham Antiochenum, ut patet ex litteris Pontificiis 21 Maji an. 1235 ad regionis Præfules scriptis.

ap. Rain. n. 12

§. XLIX.

Mon. Paduan. p. 387.
epist. Greg.
Ughell. to. I.
p. 934. *Et ap.*
Rain. n. 16.
an. 1235.

Cædes Episcopi Mantuani.

Tunc Papa Gregorius cædem Guidonis Episcopi Mantuani comperit, qui annis quatuor Ecclesiam gubernans suam per

per maximum in obeundis muniis suis Sæcul. XIII.
 fervorem in odium hominum malorum A. C. 1235.
 ac hæreticis faventium incurrit. Qui-
 dam eorum Advocati dicti secunda die
 Rogationum 14 Maji an. 1235 illum in
 Mantuano S. Andreæ cœnobio invase-
 runt. Id suo orbatum capite e solutio-
 re disciplina ad veterem sanctimoniam
 revocaturus, sacrum fenaculum intrave-
 rat, cum sicarii eum adorti mox gladiis
 percussum in facie, atque manibus in cru-
 cis formam compositis truncatum pluri-
 bus quam quadraginta plagis confecerunt.
 Cædis rumor graviter urbem totam, non
 ita Prætozem commovit; id quod virum
 suspectum reddidit, creditumque est, eum
 fugæ fontium favisse. At populus effer-
 vescens, cum sicarios non reperisset, eo-
 rum domos destruxit. Qui Veronam prope
 Ecelinum reorum omnium commune
 refugium se contulere.

Igitur Papa accepto tam tristi nun-
 cio, cum Cardinales cæterosque Præsu-
 les Perusiæ tunc præsentés convocasset,
 ex eorum sententia criminis authores &
 participes ab Ecclesiæ corpore segrega-
 tos, & loca, quæ adirent, interdicta de-
 claravit, adjungens, non posse eos nisi a
 summa Sede absolvi, in pœnam ipsis in-
 junctura, ut ultra mare pedites ac pœni-
 tentium baculos portantes, dum vixerint,
 loca sacra obeant. Sic loquitur in epi-
 stola

v. Gemma
 animæ lib. 3.
 c. 77.

Sæcul. XIII. stola 5 Junii an. 1235 hac de re ad Præ-
A.C. 1235. torem, Senatum, & populum Mantua-
 num data, subjiciens: Præcipimus, ut
 reos ab urbe, Dioecesi, ac territorio ve-
 stro excludatis, eorum bona publicetis,
 ac Magistratus vestros ad observanda hæc
 jussa nostra adstringatis: alioqui vestrae
 urbi metuendum esset, ne Sedem Episco-
 palem amitteret. Atque isti erant fu-
 nesti effectus dissidii populorum Lom-
 bardiae.

§. L.

Præparationes ad bellum sacrum.

Eodem tempore Papa turbas Palæstinae
 sedare, ibique Imperatoris Friderici
 auctoritatem extollere conabatur. Ita-
 que Teutonicos, Hospitalarios, Templa-
 riosque Equites animabat, ut se oppone-
 rent Joanni Ibelino Beryti Domino &
 cum eo conjunctis civibus Ptolemaidis,
 si Tyrum vel alium Regni Hierosolymi-
 tani locum obsiderent: scripsit etiam
 Joanni Ibelino ipsimet, ab hoc consilio
 eum abducturus; quia Imperatoris Fri-
 derici commoda, inquiebat, nostra sunt, si
 spectemus insignem, quam Ecclesiae haud se-
 mel præstitit, operam. Dabat epistolam
 28 Julii. Theodoricus Archiepiscopus
 Ravennas, Legati munere in Palæstina
 fungens, Imperatoris & Conradi secundi
 ejus

Ibid. n. 41.

IX. ep. 171.
ibid.

ep. 230. ibid.
 43.

Sæcul. XIII.
A. C. 1235.

ejus filii, per matrem suam Regni Hierosolymitani hæredis jura fortiter defenderat; & Ptolemaidis civibus ipsius judicio se submittere renuentibus, urbem interdicto affecerat: sed ne incolentes eam diverforum rituum Christiani hujus pœnæ occasione Ecclesiæ Romanæ denegarent obedientiam, & locum hæresi darent, Papa interdictum sustulit, sibi parendi sponsonem a Ptolemaidis populo nactus, ejusque cum Cæsare conciliatorem egit. Præterea huic Principi author fuit cum Rege Cypri pacem, vel saltem inducias ineundi.

n. 44.

Eodem bellum sacrum expeditius reddendi sine Papa humaniter excepit, quem Aladinus Iconii Sultanus miserat, Legatum. Erat ille caput stirpis Turcarum Seljucidarum in Anatolia regnantis, ac proprie Alaëddin Caicobad appellabatur. Cæterum cum Syriæ ac Ægypti Sultanis ex genere Saladinio bellum gerens, contra eos volebat Christianos Francos concitare, & Papam horum Calipham censebat. Igitur ad eum legavit Christianum quendam sibi subjectum Joannem Gabram nomine, qui Papæ dixit, Sultanum ipsius amicitiam cupere, sicut amicum jam haberet Fridericum Cæsarem, illum esse paratum ad suppetias eis ferendas, ut Hierosolymam recuperarent, orareque, ut ad se Nuncius mitteretur.

Bibl. Orient.
p. 240. 807.

Epist.
ap. Rain.
1235. n. 37.
38. Esc.

Hist. Ecclesiast. Tom. XX. P. Papa

Sæcul. XIII. Papa quamprimum se illi gratificaturum
A.C. 1235. promisit per litteras 20 Martii an. 1235
 datas. Verum Aladinus e vita discessit
Abulfar. anno proximo 1236, Epochæ Arabicæ
 p. 312. 634. regiminis sui 18.

IX. ep. 735.
ap. Rain.
 n. 46.

Papa præter epistolas anno præteri-
 to excitandis ad bellum sacrum populis
 missas, etiam hoc anno urgentissimas de-
 dit: ut liquet ex illa, quam Archiepisco-
 po Remensi, ac ejus Suffraganeis scripsit,
 ubi illa Christi verba: *Qui vult venire post
 me, abneget semetipsum, & tollat crucem
 suam, & sequatur me!* ad sacram militiam
 applicat, dicens: *Illi, qui non pro viribus
 suis conantur ex ethnicorum potestate hære-
 ditatem Christi eripere, fontes erunt, velu-
 ti si eum prodidissent.* Finit asserendo,
 se ex consilio Cardinalium curasse con-
 quiri militem bello saltem ad decem an-
 nos prorogando parem, & Christianorum
 largitionibus sustentandum, quas compar-
 rat collectis a S. Paulo pro turba paupe-
 rum Hierosolymitanorum factis. Hinc
 mandat, ut singuli utriusque sexus & cu-
 juslibet conditionis Christiani in singulas
 hebdomades saltem obolum contribuunt
 ad hujus belli sumptus per manus illo-
 rum, quibus id munus commissum fue-
 rit, impendendum. Sic totus sermo tam
 patheticus ad obolorum collectam dirigi-
 tur. Hæ litteræ dabantur Perusiæ 28
 Junii 1235.

E. sug.

E suggestu ad sacram militiam animabant præcipue Fratres Prædicatores ac Fratres Minores: estque verosimile, quod sermones suos eadem incitamenta, eosdem Scripturæ locos, quos Papa in litteris suis, adhibuerint. Habebant potestatem non solum crucem dandi, sed etiam mutandi votum in stipem, & auditoribus suis plurium dierum indulgentias concedendi. Nec illis status sui humilitas obstabat, quin solenniter in cœnobiiis & urbibus excipi se paterentur, ut tanquam Papæ Missionarii dignitatem suam sustinerent. Oportebat eis obviam instructo agmine procedere cum vexillis, luminibus, & ornamentis pulcherrimis. Brevi tempore Papæ Procuratores ex occasione belli sacri magnas pecuniarum summas congefferant, quarum usus non cernebatur: id quod populi hac in re ardorem haud parum minuit. Sic testatur Matthæus Paris de Anglia; ex qua de aliis regionibus conjectura fieri potest.

Sæcul. XIII.
A. C. 1235.

ann. 1234.
p. 339.

§. LI.

Concilium Narbonense. Inquisitio.

Fratres Prædicatores eodem tempore in hæreticos per Occitaniam vicinasque provincias inquirere, Episcopi vero jussi erant eos consiliis suis juvare, quod fecerunt. Nam tres Archiepiscopi Pe-

to. XI, p. 407
Spond. con-
tin. 12. 23. n. 2

Sæcul. XIII.
A. C. 1235.

Cap. I.

trus Narbonis, Joannes Arelati, & Raimundus Aquarum Sextiarum Archiepiscopi inter multos alios Præsules in Concilio Narbonensi an. 1235 præsentes, ab illis Religiosis de diversis dubiis consulti, fusissimum eis responsum dabant viginti novem capitulis comprehensum, quorum synopsis trado. Hæreticis, eorumque fautoribus, quos, præfixo tempore ultro cum venerint, vobisque tam contra se, quam adversus alios vera dixerint, a carcere immunes pronunciaveritis, has ut injungatis poenas, vobis suademus. Quavis die Dominica adibunt Ecclesiam super vestes suas portantes crucem, atque inter Epistolam & Evangelium se Parocho sistent cum virgis in manu, quibus cædentur; idemque fiet in singulis supplicationibus publicis. Prima cujusque mensis Dominica obibunt cum virgis domos civitatis omnes, in quibus aliquando hæreticos viderunt. Quolibet item Dominica Sacrificio, Concioni ac vespertinis in templo precibus cantari solitis intererunt. Pro fide ac Ecclesia contra Saracenos, hæreticos, aut alios rebelles suis sumptibus certo tempore, prout Papa jufferit, militabunt: sed iter transmarinum non eis imponetur amplius, ne rursus congregati Catholicos a fide abducant. Inquisitores proculparum, reorum, locorum ac temporum ratione

6. 2.

6. 5. 7.

ratione has poenas augere vel diminuere poterunt, & Parochi videbunt, an poenitentes eas persolvant.

Sæcul. XIII.
A. C. 1235.

Hæretici, qui se intra tempus gratiæ non denunciaverint, vel alio modo se indulgentia indignos reddiderint, Ecclesiæ tamen se submiserint, carceri debent perpetuo includi: sed quia pro tanto eorum numero construi carceres nequeunt, inclusionem differre poteritis, dum Papa melius hac de re edoctus fuerit. Quantum ad rebelles attinet, qui obedientiam detrectant, sive carcerem ingredi, sive ibi manere, sive aliam subire poenam recuserint, eos Judici profano relinquetis, nec audietis amplius; eademque ratione ageris cum illis, qui in hæresin ejuratam relapsi fuerint: fatis est Ecclesiam semel deceptam fuisse.

c. 4. 9.

c. 10. 11. 12.

Pro fautoribus habentur ii, qui hæreticos tum abscondunt, tum non denunciant, tum poenis, captivitati, examini subducunt, tum iisdem insequendis, pellendisque auctoritatem suam non adhibent. Quamvis autem illi, qui ad Ecclesiam redeunt, omni cautionum genere, immo poenarum etiam temporalium metu coerceri debeant, non tamen multam eis pecuniariam irrogabitis, ut honori Ordinis vestri consulatis, cum aliunde vestrum vos negotium fatis oneret.

c. 14. 15. 16.

c. 17.

c. 18.

Sæcul. XIII.

A. C. 1235.

c. 19.

c. 20.

c. 21.

c. 23.

c. 26.

Hujusmodi reis non licebit ulli familiæ sacrae nomen dare, ne Religiosos simplices depravent. A carcere neminem excipietis: non vir uxorem, non uxor virum, non parentes liberi sui, nec alios senectus & infirmitas immunes facient. Inquisitorum jurisdictionem definiet fontis domicilium, aut locus commissi criminis: & alter alteri scribet, quæ de reis sciverit. Neminem nisi convictum vel confessum condemnabitis: præstat enim facinus impunitum relinquere, quam innocentem damnare. Qui autem juridico ex more convictus pertinaciter negarit, hæreticus censebitur, quidquid cæteroquin fecerit, ut hæresin excussisse videretur. Denique recensentur signa, per quæ cognoscantur illi, qui ab hæreticis *Credentes* vocabantur.

§. LII.

Res Remenses ac Bellovacenses.

Interea Gregorio Papæ Archiepiscopus Remensis Henricus Broniensis conquestus est de civibus ipsius jurisdictionem profanam impugnantibus. Cum Rex ab Episcopo Bellovacensi, & quod conferebatur, ab Episcopis provinciæ Remensis dissideret, populi hac occasione ad excutiendum profani Ecclesiasticorum principatus jugum utebantur. Cives Remen-

Sup. §. 17.

Marlot. to. 2.
lib. III. c. 31.

Remenses Regias partes secuti, primum ^{Sæcul. XIII.} ex urbe Thomam Bellomesium * Eccle- ^{A.C. 1235.} siæ Metropolitanæ Præpositum sub ob-
tentu libertatis Clericorum tuendæ tur-
bas concitantem pepulerunt: deinde Ar-
chiepiscopo de profanis quibusdam juri-
bus controversiam moverunt. At Ca-
nonici Præsulis sui causam amplexi, jure
communitatis, quod cives sibi arroga-
bant, in contentionem adducto, a Papa
Quæsitores obtinere, qui rejectis Con-
sulum sententiis eos in curiam Roma-
nam vocarunt. Re Remis pervulgata a
civibus in furorem actis Canonorum
quorundam domus destructæ, ipsi injuriis
onerati, & omnes ex urbe una cum ipso
Archiepiscopo fugati, occupati ejus
annui fructus, illius castrum ad portam
Martis vi captum, ejusdem domestici a-
liquot perempti fuere. Archiepiscopus
illos anathemate multatos magis con-
tra se exasperavit.

Ita querimonias suas ad Papam de-
ferre coactus, ab eo litteras obtinuit ad
Decanum & Archidiaconum Barenses,
atque ad Doctorem Ferrium Canonicum
Lingonensem missas, quibus eis præcipi-
tur, ut anathema ab Archiepiscopo pro-
nunciatum, ubicunque idoneum censue-
rint, promulgari, & civium, ni se submit-
tant, proventus, æs alienum, cæteraque
bona tam in nundinis, quam alibi, ubi-

P 4 cunque

Sæcul. XIII. cunque inventa fuerint, occupari curent,
 A.C. 1235. ac denique ad subigendam eorum perti-
 naciam profanæ potestatis opem, si ne-
 cesse sit, implorent. Dabatur epistola
 3. Octobris anno 1235. sed effectus ejus
 nescitur.

to. XI, conc.
 p. 501.

Episcopi provinciæ Metropolitanæ sui
 rationibus consulebant, ut apparet ex
 decreto concilii, quot Quintinopoli eo-
 dem anno postridie Festi S. Magdalena
 23 Julii habebatur. Ibi præsidenti Ar-
 chiepiscopo Remensi assidebant sex Epi-
 scopi, Sueffionensis nimirum, Laudunen-
 sis, Catalaunensis, Noviodunensis, Sylva-
 nectensis, & Tarvannensis: cæteri qua-
 tuor, Ambianensis, Atrebatensis, Torna-
 censis, Cameracensis, omniumque provin-
 ciæ Ecclesiarum Cathedralium Collegia
 Legatos illuc miserant. Id concilium
 declaravit Ecclesiam violatam esse in pun-
 ctis pluribus. Erant vero sequentia.

Proscriptio Thomæ Bellomesij Cano-
 nici Remensis. Occupatio bonorum Ca-
 thedralis Collegii Sueffionensis, Regis no-
 mine facta. Repulsa ab eo data petenti
 jura, quæ vocant Regalia, novæ ad Do-
 minam nostram Sueffionensem Abbatissæ,
 cujus electionem Episcopus ratam ha-
 buerat; inhibitio, ne hic illi solenni ritu
 bene precaretur; ac direptio reliquiarum
 vasorumque, sacrorum hujus coenobii a
 Prætoze Regio perpetrata. *Rex*, inquit,
 bant,

bant, nos jubet in curia profana litigare Sæcul. XIII.
 cum hominibus ab Ecclesia proscriptis. Vult, A.C. 1235.
 ut Ecclesiastici singulari duorum certami-
 ne demonstrant se mancipiorum dominos esse.
 Ad causam Ecclesiæ Remensis quod atti-
 net, Rex illam judiciis ab Archiepiscopo ex
 Summi Pontificis autoritate contra cives la-
 tis relinquere sine inquisitione rationum ana-
 thematis debet, atque nulla earum cognitione
 inita Archiepiscopo auxilium, si invocetur,
 ad compensandas injurias a civibus ei il-
 latas subministrare. Sed Archiepiscopi non
 est suis civibus & clientibus beneficiariis,
 jurisdictioni suæ obnoxiiis de homicidio vel
 alio crimine sibi adscripto in Regia curia
 respondere. Denique Concilium Quinti-
 nopolitanum voluit, ut Episcopi ei affi-
 stentes ipsimet una cum Legatis Collegio-
 rum Cathedralium proximo Sabbatho
 Regem adirent, Concilii nomine ei rem
 exposituri, ac deinde die Dominico post
 Festum S. Petri ad vincula Compendii i-
 dem argumentum tractarent.

Congruenter huic decreto Archiepis-
 copus ac sex Episcopi Melodunum ad
 Regem S. Ludovicum profecti die octava
 S. Magdalenæ 29 Julii an. 1235. de omni-
 bus punctis memoratis apud eum disse-
 ruere. Reposuit ille, se consilium de his
 initurum, eosque decimo quinto die post
 Assumptionem Beatissimæ Virginis rur-
 sum Meloduni comparere jussit. Con-

Sæcul. XIII.
A. C. 1235.

Marlot.
p. 521.

sentiebant Episcopi; sed jam tum de duobus punctis nempe de causa Ecclesiæ Remensis ac de proscriptione Thomæ Belomessii Regem monuere. Concilium die Dominica 5 Augusti Compendii denuo sociatum tribus Abbatibus injunxit, ut die lunæ post Exaltationem S. Crucis 17 Septembris tertia Regem admonitione perurgerent. Et interea Sabbatho ante Nativitatem B. Virginis 1. Septembris ipsimet Episcopi ad S. Dionysium delati secunda Regi commonitione institerunt.

§. LII.

Querelæ Gallorum contra Ecclesiasticos.

Prew. lib.
Gall. c. 7.
n. 7.

Tum Franciæ Optimates apud Pontificem Maximum de Præsulibus ac Ecclesiasticis querebantur. Epistola continet nomina plurium quam triginta, quorum primi sunt Hugo Dux Burgundiæ, Petrus Britanniæ Comes, Hugo Comes Marchiæ, & Amaurius Comes Montfortius, supremus militaris rei Gallicæ Præfectus. Hi dicunt Papæ: *Quamvis Rex, & Majores ejus nostrique semper Ecclesiæ jura fideliter conservaverint, qua in re sollicitate eos imitamur: nunc tamen Præsules, cæterique Ecclesiastici contra Regem per nova molimina insurgentes, obsequia longo tempore ei & antecessoribus ejus præstita recusant,*

cusant, novaque jura ei ac ditioni ejus sub- Sæcul. XIII.
jectis extorquere conantur. Archiepiscopus A.C. 1235.
Remensis, ac Bellovacensis Episcopus Re-
gis clientes beneficiarii ac dediticii terras
suas tanquam Franciæ Pares & Barones
ab illo habent: eo tamen audaciæ progre-
diuntur, ut de bonis suis in curia Regis
ac Procerum non respondeant, nec patian-
tur Archiepiscopum Turonensem ac ejus pro-
vinciæ Abbates ibi respondere, sicut sub
Regibus prioribus fecerunt. Hi Præsules,
ac cæteri Ecclesiastici nos & clientes nostros
fiduciarios onerare volunt novis consuetu-
dinibus, quas ferendo non sumus. Quare
tibi supplicamus, ut jura Regni & nostra,
prout antecessorum nostrorum tempore ob-
servata sunt, integra conserves, gnarus, nec
Regem, nec nos ejusmodi molitiones tole-
raturus amplius esse. Actum ad S. Dio-
nysum an. 1235. mense Septembri: lit-
teris 28 sigilla sunt impressa.

Idem fuisse conventus videtur, in quo
 Rex sanxit, ut ne sui & Optimatum clien-
 tes beneficiarii cogerentur Ecclesiasticis
 vel aliis pro tribunali Ecclesiastico respon-
 dere: id quod de materia profana intel-
 ligendum. Ut Judex Ecclesiasticus si
 eam ob causam illos proscriberet, per oc-
 cupationem bonorum suorum anathema
 tollere compelleretur. Ut Præsules, cæ-
 terique Ecclesiastici ac eorum clientes fi-
 duciarium adfringerentur ad subeunda Re-
 gis

Greg.
 ap. Rain.
 1236. n. 34.

Sæcul. XIII. gis ac Procerum judicia in omnibus cau-
A C. 1236. sis civilibus. Tale fuit S. Ludovici de-
 cretum.

Provinciae Remensis Præsules a sua agendi ratione non desistebant. Sylva-necti die Mercurii post Festum S. Martini 14 Novembris an. 1235. iterum sociati erant, cum Remensis Archiepiscopus ex consilio Suffraganeorum suorum hæc pronuntiavit: *Quandoquidem Rex monitis sibi datis non paruit, omnes ejus possessiones in provincia Remensi sitas interdicto afficimus; ita tamen, ut sacrum viaticum & baptisma ibi conferantur: & proscribimus omnes Episcopos, qui hanc censuram non observaverint, vel in Diocesis suis observari, aut postridie Festum S. Andreæ promulgari non curaverint.*

Gall. Chr. Rex hanc rem longius provehi haud
to. I. p. 524. passus, ejus cognitione inita, causam Archiepiscopo adjudicavit, & propugnacula a civibus exstructa everti, castrum ad portam Martis réparari, atque aliis in punctis illi satisfieri voluit. Tulit hanc sententiam Parisiis mense Januario an. 1235. hoc est an. 1236 ante Pascha: & ampliorem rei disquisitionem commisit Odoni Abbati ad S. Dionysium, ac Petro Colmiæo tunc ad S. Audomarum Præposito, qui Remos delati, ordinem judicarium tenere volebant: sed Archiepiscopus & Cives eorum arbitrio relinquentes

tes omnia, quidquid constituissent, observaturos se promittebant. Illi, civibus absolutionem a censuris efflagitare, & Archiepiscopo magnam pecuniæ summam pendere iussis, summa solertia caverunt, nequa discordiæ materia restaret. Actum Remis 8. Febr. an. 1236.

Sæcul. XIII.
A. C. 1236.

§. LIV.

Papa Ecclesiasticorum postulationes fovet.

Gregorius Papa de sanctionibus Regis ac Franciæ Procerum in conventu ad S. Dionysium factis edoctus, longam illi epistolam scripsit, in qua asserit, Deum Papæ omnia simul, cœlestis ac terreni iura imperii tribuisse: insistit dein existimatae legi Theodosii, per Carolum Magnum renovatae, & ad sanctiones, de quibus sermo est, veniens, dicit, Regem ac Optimates Ecclesiam, a qua regenerati fuissent, velle in servitutum redigere, velut si ancillæ, non liberæ filii esse cuperent. Ubi Papa manifesto alienum in sensum verba S. Pauli derivat, qui sub nomine Ecclesiæ non solum corpus Cleri, sed universam Christianorum multitudinem intelligit, liberamque appellat Synagogæ comparatam. Sed hæ voces, Ecclesia & libertas per Christum acquisita sæculo XIII sic exponi solebant. Pa-

IX. ep. 384.

ap. Rain.

1236. n. 31.

Sup. Lib.

XLVI.

S. 8.

Gal. IV. 24.

pa

Sæcul. XIII.
A.C. 1236.

pa concludit exhortando Regem ad retexendas sanctiones illas, quas ei per mala consilia suggestas credit: & adjungit, timendum eidem esse anathema a Papa Honorio III pronunciatum adversus illos, qui contra libertatem Ecclesiæ constitutiones facerent. Dabat 15 Febr. an. 1236. Neque tamen retexuit sanctiones suas Rex sanctus, sed reprimendis in Regno suo Cleri molitionibus assidue intentus fuit.

Jo. de Thurocz. c. 73. 74

IX. ep. 346.
ap. Rain.
n. 66.

Modico abhinc tempore Papa scripsit Belæ post Andream patrem suum an. 1235 mortuum Hungariæ Regi, qui die Dominica 14 Octobris coronatus 25 annos regnavit. Cum bona Ecclesiarum, sigillatim Ordinis Cisterciensium, Hospitaliariorum ac Templariorum, Religiosorum S. Lazari & S. Samsonis occupasset, Papa rem tanquam in se plurimum criminofam, per malum vero exemplum nocentiorum vehementer ei exprobrans nisi restitueret ablata, se pro muneris sui ratione cum eo acturum minitatus est. Dabat 16. Jan. an. 1236.

IX. ep. 398.
ap. Rain.
1236. n. 14. 15

Eodem tempore similes Friderico Cæsari litteras misit, de oppressis Siciliae Ecclesiis conquerens. *Hæc per Prætores tuos, inquit, libertate ac bonis exuta sunt, Pastores ac ministros suos proscriptos, captos, exactionibus oneratos, ad tribunalis profana traductos dolent. Quando Præsules*

fules illæ suos amifere, non eis permittitur aliorum electio, sed contra sacros Canones obtruduntur novi. Interim hæresis invalescit, cum desint, qui sanam doctrinam tradant. Immo e templorum ruinis delubra construere Saracenos pateris (de Saracenis Nuceriæ loquitur) quibus suum in medio Regni domicilium hac arte stabilitum majorem Christianos a fide abducendi facilitatem præbet. Denique contra pacem a te nobiscum initam quidam Nobiles aliique suis spoliati bonis mutare solum coguntur, ac certe hoc uno ex capite tam acerbe habentur, quia Ecclesiæ partibus se adjunxerunt. Dabat ultimo Februarii an. 1236. Imperator ad has querelas sic respondit, ut tum earum causas imminueret, tum culpam in Prætores suos transferret, & quantum ad electionem Præsulum attinebat, se jus antecessorum suorum tueri assereret. Sed his responsis immixti erant verborum aculei non nisi exulcerandis animis idonei.

Sæcul. XIII.
A.C. 1236.

Sup. Lib.
LXXIX.
§. 65.

§. LV.

Res Lombardicæ.

Papa tamen Imperatorem ad bellum facrum adducere, & a suscepto Lombardiæ arma inferendi consilio avertere modis omnibus conabatur. Vide, qua ratione ei eodem anno 20 Martii scripserit!

Sæcul. XIII. rit! Oramus, ut Excellentia tua confide-
 A.C. 1236. ret, nos negotium de Terra sancta te urgen-
 te ac ex sententia trium Patriarcharum
 X. ep. 1. ap. omniumque Præsulum nobis præsentium con-
 Rain. 1236. traxisse; idem post sanctam Sedem præci-
 n. 2. pue ad te pertinere; atque nos curasse, ut
 dissidentes pacem, vel saltem inducias inire
 ubi vis gentium compellantur. Et vero Prin-
 cipes aliqui jam eo adacti sunt, ac non-
 nulli Reges, multique Optimates tessera
 crucis militiam secuturos se sponderunt:
 Igitur efflidim rogamus, ut mox Herman-
 num Teutonici Ordinis Magistrum mittas
 cum plena potestate nostras inter manus sim-
 pliciter & absque ulla conditione de tua
 cum Lombardis controversia compromit-
 tendi, qui se hac in re nostro permisere ar-
 bitrio. Scias enim, si contra eos moveat,
 hoc præsertim tempore, pessimi rem exem-
 pli fore, ac te multis daturum ansam creden-
 di, se ab Ecclesia deceptos esse: id quod
 hæc tolerare haud posset.

Matth. Par.
 an. 1236.
 p. 362.

Verum Imperator Papæ declaravit,
 se Lombardorum insolentiam diutius fe-
 rendo non esse, oravitque, ut ipsi hono-
 rificam cum eis pacem procuraret, vel ad
 eosdem edomandos suppetias mitteret,
 prout affirmaret, Cæsarem ipsi succurre-

Matth. Par.
 p. 366.

ap. Sigon.
 lib. 18. p. 48.

re debere. De Mediolano præcipue que-
 rebatur tanquam hæreticorum ac rebel-
 lium receptaculo. Belli sacri dilationem
 excusaturus, Papæ his verbis scripsit:

Italia

Italia est hæreditas mea: ambitio rationi contraria foret, si desererem, quod meum est, ut armis extranea quærerem. Indignus Christi servus sum, ut ejus hostes impugnem, sacre militiæ crucem ampl. xus. Verum Italia plena hæreticis est, præsertim Mediolanum: ut contra Saracenos moveam, illos impunitos permittere esset ferrum in plaga relinquere, ac exteriora ei remedia applicare. Præterea sine numerosis copiis & magnis sumptibus bellum ethnicis inferre haud possum: huc opes ac vires Italiæ destino.

Imperator in Germania commorabatur, proximamque æstatem in Lombardia transacturus, ad Germaniæ Principes longam scripsit epistolam, in qua sic loquitur: Quandoquidem populi nobis sub-

*Petr. de Vin.
III. ep. I. &
ap. Sigon.
ibid.*

jecti in Regno Hierosolymitano ad dilectum filium nostrum Conradum matris suæ successorum pertinente, in Sicilia, materna hæreditate nostra, & in Germania communi fruuntur pace, Italiam ad officium suum reducere, ac Imperio nostro restituere cogitamus; parumque nobis superest agendum, ut illud eveniat. Qua in re non nostrum modo emolumentum, sed sacre militiæ progressum quærimus. Nam Italiæ rebelles subigendo discordias inter Nobiles multos tolemus, quorum vota durante hoc inter Christianos bello suspensa manent. Tanta bona procuraturi, hac æstate cum Principibus

Hist. Eccles. Tom. XX.

Q

Impe-

Sæcul. XIII.
A. C. 1236.

Imperii Lombardiam adire statuimus, ut hæresin inde extirpemus, instauremus ibi jura Imperii, eo reducamus pacem, ibidemque suum cuique jus tribuamus, ac postea omnes conjunctis viribus Religionis hostes aggrediamur. Igitur Parmæ solemnem indicimus curiam, quo cunctos Italice cis Romam urbium Nuncios invitamus, ac præter Imperii Principes omnium Occidentis Regum, quorum major pars sædere nobis conjuncta est, Legatos ibi affore speramus. Edicit dein Augustam Vindelicorum ad conventum militum die Festo S. Joannis faciendum, & ad confessum Parmensem diem Festum S. Jacobi 25tum Julii.

Ital. Sac.
to. I. p. 236.

Interim ad Cæsaris preces Papa in Lombardiam Legatum misit de pace acturum. Is erat Episcopus Prænestinus Jacobus Pecorarius Placentiæ nobili & opulenta ortus familia. A prima juventute sua Clericus ad S. Dominum, dein Archidiaconus Ravennas, ut se totum Deo consecraret, Franciam petiit, & Ordinem Cisterciensium ingressus an. 1215, talia virtutum specimina edidit, ut in Abbatem Trifontanum Romæ sub Pontificatu Honorii tertii eligeretur, qui singulari eum affectu prosequens a sacello & confessionibus sibi esse jussit. Ex illo tempore Ecclesiæ negotiis, quæ maximi momenti erant, adhibitum ac optime perfunctum Papa Gregorius Nonus Cardinalem

nalem Episcopum Prænestinum mense Septembri an. 1231 creavit, & anno sequente eum simul ac Ottonem Cardinalem sub titulo S. Nicolai ad Imperatorem Fridericum pacis procurandæ causa legavit. Tum in Lombardiam pacandam missus Jacobus hoc anno tertiam legationem obiit. Papa de eo ad Cæsarem 10 Junii ita scripsit: *Edotti, te Lombardiam petiturum, Episcopum Prænestinum eo mittere decrevimus, qui cum olim pro Deo omnia reliquerit, certe solam concordiam & honorem Ecclesiæ ac Imperii nullo hominum respectu quærit.*

Sæcul. XIII.
A. C. 1236.

X. ep. 103.
ap. Rain.
1236. n. 6.

§. LVI.

Beata Agnes Bohema.

Interim Agnes Regis Bohemiæ sorore-
gregium orbi exemplum dedit in reli-
giosam servitutem sub S. Francisci regula
se Deo dicans. Primislaum Ottocarum
Bohemorum Regem, atque Constantiam
Belæ tertii Hungariæ Regis filiam pa-
rentes nacta Pragæ anno 1205 primam
aspexit lucem. Trimula Boleslao Henri-
ci Silesiæ Ducis filio in matrimonium
promissa, Trebnicium ejus regionis mo-
nasterium prope Uratislaviam delata fuit,
ut ibi sub cura sacrarum Deo Virginum
adolesceret. Sed post triennium extin-
cto, cui destinata erat, Principe, in Bo-
hemiam

Vit. ap. Boll.
6. Mart. to. 6
p. 513.

Q 2

hemiam

Sæcul. XIII.
A.C. 1236.

hemiam reuēta, Doxanense cœnobium usque ad ætatem novem annorum incoluit. Tunc ab Imperatore Friderico secundo pro Henrico filio natu maximo petita, sponsaliis per Procuratorem celebratis, in Austriam missa fuit, linguam & mores Germanicos ibi docenda: nam Bohemi e natione Sclavorum erant. Jam tum per hebdomades Dominico Adventui sacras, & per verum jejunium rigidam colens abstinentiam modico tantum pane ac vino victitabat, quamvis Austriæ Ducibus gratia legis, & cibos lacte confectos edendi copia præter illius temporis morem facta fuisset. In pervigilio Annunciationis, etsi desponsa esset, virginitatis servandæ & desiderium ingens sensit, & consilium suscepit, hunc in finem se sanctissimæ Virginis præsidio commendans. Et vero conjugium dilatatum, illa in Bohemiam remissa, Henrico Leopoldi Austriæ Ducis filia nuptiis juncta est.

Post hæc Imperator Fridericus ipsemet, amissa secunda conjuge Yolanda Regis Hierosolymitani Joannis Briennii filia, Agnetem Bohemam sponsam postulavit, eandemque eodem tempore poposcit Henricus tertius Rex Anglorum. Anteposuit Imperatorem, eique invitam filiam addixit pater Primislaus Rex: sed sub annum 1230, vitam cum morte commutavit; cui filius suus Wenceslaus
quartus

quartus successit. Interim Agnes se præ-
parabat ad vitam, quam in votis habe-
bat. Sub veste auro ac gemmis ornata
cilicium & cingulum ferreum gestabat.
Ejus lectus extra magnificus intus filici-
bus acutis confitus, abstinentia mira, jeju-
nium frequens erat in scio Rege fratre.
Horas matutinas transigebat sacrificiis
assistendo diversis in templis, quæ sæpe
ante lucem adierat, amictu, ne noscere-
tur, aliquam civem præ se ferens: per
horas integras positis humi genibus cali-
das ad superos preces fundebat.

Annum sæculi XIII trigesimum ter-
tium, ætatis suæ vicesimum octavum a-
gebat, cum Fridericus Cæsar eam ad se
deferendi, & in matrimonium ducendi
gratia Legatos Pragam ad Regem ejus-
dem fratrem misit cum gaudio consen-
tientem. Interim vero, dum Legati splen-
didius avehendæ Principi ingentes ap-
paratus faciunt, illa secreto per nuncium
Papam Gregorium orat, ut auctoritatem
ac opem suam interponat contra conju-
gium ipsi obtrudendum. Hujus displi-
centiam augebat notitia liberioris vitæ,
quam Fridericus durante viduitate sua
ducebat. Papa piæ Principis votis an-
nuens, extraordinarium in Bohemiam
Nuncium misit, qui connubium impedi-
ret, ac Cæsar's animum, cui res dolere
posset, quam solertissime tractaret. Agnes

Q 3

Regi

Sæcul. XIII.
A. C. 1236.

Sæcul. XIII.
A.C. 1236.

Regi fratri suo Pontificias monstrans litteras, ut ipsius propositum suffulciret, orabat. Ille Legatis, hi Cæsari rem indicarunt; qui offensus primum, dein mitigatus decretum edidit, quo eam a promisso matrimonii sibi factō liberabat. Dicebat ibi: *Si mortali me homini posthabuisset, vindictam per arma sumpsissem: sed quod cœlestem mihi Sponsum præferat, improbare nequeo.*

Ita sui juris facta Princeps, pium propositum exequi statuit; ac de instituto S. Francisci, & de S. Claræ ejusque filiarum vivendi ratione satis edocta, ad eam amplectendam adjecit animum ex consilio Fratrum Minorum, qui regnante Primislao ipsius patre Moguntia Pragam venerant, ut domicilium ibi collocarent. Eorum cœnobio colophonem imposuit, & condidit novum sub nomine S. Salvatoris pro filiabus S. Claræ, quæ ipsi quinque misit. Anno 1234 absolutum erat, ut patet ex litteris Papæ Gregorii, opus ratum habentis & confirmantis. Agnes Pragæ jam nosocomium sub nomine S. Francisci erexerat, ubi Religiosi serviebant S. Augustini regulam amplexi, & super amictum portantes crucem cum stella rubra. Demum die Pentecostes 18 Maji an. 1236. solenni ritu sacram induit vestem una cum septem aliis Virginibus illustri

Boll. p. 502.
p. 520.

Alber. Stad.
eod. an.

illustri genere ortis. Numerabat annos **Sæcul. XIII.**
 triginta & unum; insuper alios 45 vixit. A.C. 1236.

Per epistolas, quas Papa duobus annis sequentibus ei scripsit, apparet, eam fuisse Abbatissam hujus monasterii, idque jam tum S. Francisci nomen tulisse. *Ha-Boll. p. 506.*
 bemus etiam quatuor S. Claræ ad B. Agnetem epistolas, quibus ei de vitæ gradu divinitus assignato gratulans, eandem ad perseverantiam, ac præcipue ad amorem paupertatis exhortatur. Et vero paruit monenti Agnes tam fideliter, ut cœnobio suo bona immobilia vel certos proventus esse nunquam voluerit, quantumvis illam Rex frater suus eo urgeret. S. Clara eam edocuit, suum Ordinem servare jejunium in cibis esurialibus per totum annum solere exceptis diebus Dominicis, ac præcipuis Festis.

§. LVII

Ferdinandus Corduba potitur.

In Hispania Christianorum arma prosperos continenter successus habebant. *Chr. S. Ferd. c. 8. ap. Boll. to. 18. p. 325.*
 Mense Januario anni præteriti 1235 Ferdinandi Castellæ Regis copiæ noctu Cordubæ suburbium muris ac turribus munitum occupaverant; quo comperto Rex ipse quanquam modica instructus manu urbem oppugnare cœpit. Abenhutum Maurorum Regem Astige habitantem a

Q 4 feren-

sæcul. XIII.
A.C. 1236.
ferendo Cordubæ auxilio avertit quidam Eques Christianus, in quo confidebat, & qui eum fefellit a Rege Ferdinando subornatus. Cum dein Abenhutus Valentiaë a Jacobo Arragoniæ Rege obsessæ suppetias iret, eum unus suorum per proditionem e medio sustulit. Tum horum locorum Mauri in diversa abiere, uni soli Domino obedire deinceps nolentes.

Interea Ferdinandus crescente in dies suorum numero obsidionem Cordubæ urgebat, cujus incolæ subsidio destituti premente fame certis conditionibus se dedere volebant. Ille solum permisit, ut incolumes, sed nihil asportantes discederent.

Ric. S. Ger. Sic tradita est Corduba in pervigilio S. Petri 28 Junii an. 1236, postquam 523 annis in Musulmannorum potestate fuerat, nempe ab anno 713, quo illam sibi Metropolin in Hispania constituerant.

Sup. Lib. XLI. §. 25. Ferdinandus mox in fastigio turris, e qua Musulmanni ad preces vocati fuerant, crucem erigi iussit; & quinque Episcopi eum comitantes præcipuum delubrum ex Arabicis omnibus maximum & ornatissimum intrarunt. Illi Episcopi erant Joannes Uxanensis Curiaë Regiæ Præses, Consalvus Conchensis, Dominicus Biantiensis, Adamus Placentinus, & Sanctius Cauriensis: Rodericus Archiepiscopus Toletanus Romæ commorabatur. Episcopus Toletanus Romæ commorabatur.
Epis-

Episcopus Uxanensis in delubro purgato erectam aram sanctissimæ Virginis honori dicavit, ibique Festo die SS. Apostolorum celebrato solenni ritu sacrificio de rebus divinis cum magno audientium fructu verba fecit. Rex Almanfor quondam æra campana Ecclesiæ S. Jacobi Compostella Cordubam in grande delubrum deferri curaverat, ubi resupina erant suspensa, & pro lampadibus serviebant, quod ignominia sibi ducebant Christiani. At Ferdinandi jussu ad S. Jacobi Maurorum humeris reportabantur. Quoniam Corduba in agro fertilissimo amoenissimoque sita erat, ejus expugnatione per Hispaniam divulgata, accurrentes undique homines natalibus eam locis anteferebant, ita ut potius domus incolis, quam incolæ domibus deessent. Recepit illa Sedem Episcopalem Toletanæ obnoxiam, & inter amplissimas urbes post Romam, Constantinopolin atque Hispaliim numerabatur.

Papa Gregorius accepto tam fausto nuncio ad Hispaniæ Præsules scribens, eos Regem Ferdinandum, ut ethnicis plura eriperet loca, & omnes Diocesium suarum populos, ut seu militari opera, seu bonis suis illum juvarent, animare jussit, haud minorem ipsis, quam pro itinere in terram sanctam promittens indulgentiam. Has litteras dabat 4 Septembris an. 1236.

Q 5

Eodem

X. ep. 214.

ap. Rain.

n. 58.

Sæcul. XIII. Eodem tempore ad Regis preces Archi-
 episcopo Toletano, ac Episcopis Burgenfi
 & Uxanensi præcepit, ut ei per tres an-
 nos subsidium annuum mille aurearum
 regionis monetarum e proventibus Eccle-
 siarum ac cœnobiolorum pro hujus belli
 sumptibus penderent. Sub idem tem-
 pus Rex detectos Palentiæ hæreticos in
 vultibus candente ferro notari iussit: quo
 factum est, ut resipiscentes in Ecclesiæ
 finem recipi cuperent, & mandante Papa
 ab Episcopo loci absolverentur.

X. ep. 182.
 ibid.

ep. 215. n. 60.

§. LVIII.

Judæi male habit.

Eodem anno Judæi pluribus locis acer-
 be excipiebantur, præsertim in Hispa-
 nia, ubi magna eorum strages est edita.
 In Francia cruce signati Aquitani, Picto-
 nes, Andegavenses, & Britanni ingen-
 tem illorum numerum peremerunt, nec
 infantibus, nec scæminis gravidis par-
 centes. Multis mortiferæ plagæ infli-
 ctæ, alii equorum unguis obtriti, cada-
 vera bestiis exposita, illorum libri com-
 busti, bona direpta sunt, & pejora iisdem
 intentabantur: omnia sub obtentu recu-
 sati baptismatis. Cum Judæi querimo-
 nias suas ad Papam detulissent, scripsit
 ea super re Archiepiscopo Burdigalensi,
 ac Episcopis Santonensi, Inculismensi, &
 Picta-

Matth. Par.
 1236. p. 364.

Lohineau
 hist. p. 235.

X. ep. 212.
 ap. Rain.
 1236. n. 46.

Pictaviensi litteras, in quibus dicit, cruce signatos debere se ad bellum contra ethnicos præparare per timorem Dei, puritatem cordis, & charitatem: & Jesum Christum, quamvis a baptismi gratia neminem excludat, misericordiam tamen impertiri, cui velit; ac neminem ad suscipiendum hoc Sacramentum cogi decere, cum homo ex libero arbitrio suo & eeciderit, & surgere debeat per gratiam vocatus. Dabat 9 Septembris an. 1236. Scripsit etiam S. Ludovico, ut cruce signatorum furorem coërceret. Judæi in Anglia datis Regi Henrico pecuniis obtinuerunt edictum, nequis ipsos male acciperet.

Sæcul. XIII.
A. C. 1236.

ep. 213.

M. Paris.
ibid.

§. LIX.

Concilium Turonense.

Similem inhibitionem, ne cum Judæis asperere ageretur, sigillatim ad cruce signatos directam videmus in Concilio Turonensi, quod Archiepiscopus Juhel habuit die Martis ante Festum S. Barnabæ, *to. XI. conc.* nimirum 10 Junii eodem anno 1236. *E. P. 504.* debatur ibi præscriptum quatuordecim *c. I.* continens articulos, quorum primus præcipit, ut sacros milites ob crimen a Judice profano comprehensos Judex Ecclesiasticus foro suo vendicet, ac nulla immunitatis eorum ratione habita, etiam crucem iisdem adimat, si homicidii vel alius gravis

vis

Sæcul. XIII. vis delicti reos invenerit. Additur: *Se-*
A. C. 1236. *vere prohibemus, ne cruce signati, cæterique*
Christiani Judæos occidant, vel percutiant,
expilent aut alia injuria afficiant, cum eos
Ecclesia toleret, non mortem sed salutem er-
 6. 13. *rantium volens. Episcopis curæ erit susten-*
tatio neophytorum, ne per causam inopiæ ad
errores suos redeant.

6. 2. 4. Advocati triennio, Judices quinquen-

6. 5. *nio juri addiscendo operam dederint, oportet.* Judices a sancta Sede delegati in provinciam Turonensem necessarias adhibebunt cautiones contra fraudes partium, qui rescripta in Romana curia obtinuerint. Hæ delegationes satis fræ-

6. 7. *quentes fuerint, necesse est. Testamenta Episcopo vel ejus jurisdictionem exercenti intra decem dies post mortem testatoris exhibebuntur; & ille ea fideliter*

6. 12. *executioni dari curabit. Falsi testes futuro excipientur, nisi hoc in multam*

6. 18. *mutandum Judici visum fuerit. Qui duas simul uxores habent, palam infames denunciabuntur, & in scalas publicas agentur, dein vapulabunt, nisi per multam se redemerint. Sic etiam punientur, qui fortilegii convicti fuerint.*

Metropolitana sedes Bituricensis hoc anno dignum possessorem accepit in Philippo * Berruero. Simon Sullius quatuor abhinc annis 8 Augusti 1232 vitam amiserat; & sedes per hoc intervallum vacasse

* Bernier
 Gall. Chr.
 to. I. p. 176.

vacasse censetur: post suffragia tamen aliquoties inita cooptatus est Doctor quidam nomine Petrus * Castrorubeus, cui post biennium munus abrogatum fuit; & Papa provisione ad se devoluta Bituricas transtulit Philippum Aurelianensem per quatuordecim annos Episcopum. Evasisit Archiepiscopus exeunte Augusto anni 1236. & viginti quatuor annos permansit, per quos plus, quam adhuc fecerat, omnes virtutes Christianas ac Episcopales coluit. Eodem anno duo Archidiaconi Parisienses, celebres ambo Doctores, in Archiepiscopos electi sunt, Godofridus Vefuntii, Emericus Lugduni.

Sæcul. XIII.
A. C. 1236.

Patr. Bitur.
c. 70. p. 110.

* Château-roux

Alberic.

p. 541. 554.

Patr. c. 71.

p. 112.

Sup. Lib.

LXXVIII.

§. 61.

Gall. Chr.

to. 2. p. 252.

Alberic.

p. 560.

§. LX.

Robertus Capito Episcopus Lincolnienfis.

Angliæ Rex Henricus hoc anno Regiminis sui vigesimo Ranulphum Abbatem Rameseyensem justitiæ præfecit, ut cum tribus aliis Quæstoribus in Comitatibus Bedefortienti, & Buquincamensi jus diceret. Episcopus Lincolnienfis, in cujus Diocesi hic Abbas erat, ea de re ad S. Edmundum Archiepiscopum Cantuariensem scribens ait: *Si Abbas hoc munus accipit, etiam causas sanguinis dijudicandas suscipit; nec ab hoc purus erit surgendo, dum damnationis pronunciandæ tempus instabit, quoniam illa*

Monast.

Ang. to. 1.

p. 241. ap.

Rain. n. 52.

Sæcul. XIII.
A. C. 1236. illa ipsa actio indicabit iudicium, quod sequi debet. Præterea jurisdictionem profanam exercere nulli Clerico per canones licet, sed id agentes, si Clerici sint, a functionibus Ecclesiasticis removeri, si sint Religiosi, severius puniri jubent. Igitur exhortare Regem (sic pedibus tuis advolutus enixe supplico) ut mandatum tollat, ne ipsemet indignæ rei culpam contrahas, animarum perniciem trahentis. Quod si Rex renuat, & Abbas neglecta salute sua, quæ mihi esse curæ debet, minus illud exercere velit, consilium suppliciter peto. Nam si rei tam parum æquæ non obfisto, Abbati censuras Ecclesiasticas minitando, accieo mihi illam Ezechielis objurgationem:

Ezech. 13. 5. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël. Si vero resistam, Regis Ministri bona mea occupabunt ac diripient; & quia ejusmodi oppositio his in locis nondum conspecta fuit, multorum, quos hoc sæculum sapientes credit, fabula fiam. Nihilominus cum nullum periculum temporale vel cum minimo æternæ vitæ discrimine in comparationem veniat, erubesco, quod in causa tam clara te consuluerim. Oro itaque, hac in re libertatem Ecclesiæ animarumque salutem pro viribus tueri me jubeas. Nam authoritate tua nixus juvante Deo contra improborum conatus stare potero.

Episcopus Lincolniensis, qui has scripsit litteras, erat Robertus Capito, in Anglica lingua Grouthead. Stodebrocii in Comita-

Comitatu Suffolcino plebejis egenisque parentibus natus, procedente tempore doctrina & virtute enituit. Litteris Oxonii primum, dein Parisiis operam navavit, ubi Doctoris gradum, & magnam obtinuit existimationem. Reversus in Angliam Lecestriæ Archidiaconus, tum Lincolnæ Episcopus evasit post Hugonis * Devellii obitum, qui 7. Febr. an. 1235 * de Velles contigit. Robertum S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis Radingæ 3. Jun. eodem anno consecravit. Reclamantes huic inaugurationi monachi Cantuarienses eam in Ecclesia sua fieri debere asserbant: ne tamen congregatorum Præfulum iter ac sumptus irriti essent, consentiebant, ita, ut nullum inde exemplum caperetur. Robertus sedem Lincolnensem 18 annis tenuit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1236.

Goduin. de
Præsul.
p. 348. Angl.
Sac. to. 2.
p. 325.

Matth. Par.
1235. p. 345.

§. LXI.

Cæsaris querelæ. Papæ purgatio.

Imperator Fridericus Augustam Vindelicorum tempore indicato venit, & in pervigilio S. Jacobi 24 Julii an. 1236 reliquit, Italiam cum mille equitum comitatu petiturus. Cum alpes superasset, collectis infra Veronam copiis suis, Cremonensium subsidio auctus Mantuam rebellem invasit, & circumjecto agro vastitatem intulit. Neque hanc avertere Legati

Godof. Mon.
1236.

Sæcul. XIII. Legatus Papæ Jacobus Episcopus Præ-
 A. C. 1236. nestinus potuit, frustra que gessit nego-
 tium suum, Friderico persuasum sibi ha-
 bente, Papam bona fide non agere, suum-
 que Mediolanensibus ac cæteris Lombar-
 dis seditiosis auxilium promississe. Præ-
 terea Legatus Placentiæ patriæ suæ ci-
 ves in pristinam concordiam reducendo,
 quamvis hac in re tantum munere suo
 functus esset, Imperatori suspectum se red-
 didit. Qui ejus aures injuriis ac minis o-
 neravit, & suas eidem non præbuit. Quin
 etiam Pontifici Maximo Legati rationem
 agendi & auxilium ab illo Lombardis
 missum conquestus fuit. Papa vero se
 purgaturus ei scripsit in hanc sententiam.

*Salvatoris nostri exemplo ad procuran-
 dam pacem adstricti, Legatum in Lombar-
 diam misimus, qui hujus provinciæ populos
 tecum & inter se ipsos reconciliaret. Nec
 eo veniendi propositum, quod habebas, ab il-
 lius missione avertere nos debuit: ut enim di-
 xeras, illuc te hoc fine conferebas, ut hære-
 sin extirpares, Terræ sanctæ succurreres,
 Ecclesie ac Imperii jura pacemque instaura-
 res: & addebas, te nihil præterquam ex con-
 silio nostro facturum. Misimus autem vi-
 rum, qui eo minus debebat esse suspectus, quia
 divini amoris perfectionem affecturus omnia
 reliquit: nec est, cur ejus patria & familia
 suspicionem moveant, quia eis nuncium re-
 misit religiosam amplectens vitam. Vera ra-
 tio*

*X. ep. 253.
 ibid.*

*Math. Par.
 p. 376.
 Vita Greg.
 ap. Rain.
 1236. n. 8.*

tio est, quod Placentia Imperatori obstite-
rit. Denum, adjungit Papa, *si habes, quod*
illi exprobes; tibi satisfacere parati sumus.
Dabat 23 Oct. an. 1236.

ſæcul. XIII.

A. C. 1236.

In eadem epistola confutat ea, quæ
Cæsar de vexatis Siciliæ Ecclesiis pro se
dixerat, aitque: *Etsi Ecclesiis bona sua*
permutare liceat, non tamen cogi debent, ut id
damno suo vel sine Superioris consensu in frau-
dem jurati promissi bona sacra non alienan-
di faciant. Ponamus te quædam beneficia
vacua conferre: annexam iis curam anima-
rum nemini committere potes, quia est jus spi-
rituale nulli laico conveniens: nec pro viven-
tibus, & juridico ritu munere suo non priva-
tis alios nominales substituere potes. Pona-
mus, te Episcopis mortuis in conferendis be-
neficiis succedere: non hic plus potestatis ha-
bes, quam illi; & nos haud amittimus hoc
in casu jus conferendi etiam vivente Episcopo
beneficia, de quibus ille nihil statuit. Jus, de
quo Papa Gregorius hic loquitur, videtur
esse illud, quo collatores ordinarii præ-
veniuntur.

Tum Papa de Tunetani Regis nepo-
te, quem Imperator in custodiam tradi-
derat, mentionem facit. Ille Princeps
Musulmannus Regem Cognatum suum
sibi mortem minitatum reliquerat, se ad
Christianam Religionem transiturum, &
salutis fonte a Papa tingendum Romam
petere perhibens. At Fridericus hujus
Histor. Eccles. Tom. XX. R pro-

ap. M. Paris.

1239. p. 419.

Sæcul. XIII
A. C. 1236

propositi speciem fugæ solum prætendi-
ratus, eum orante probabiliter Rege Tu-
netano comprehendi jufferat. Hoc Pa-
pa magno in crimine ponit, tanquam si
Cæsar suscepto a Principe consilio obsta-
re cogitasset: & addit: *Non tibi licet ne-
scire, favorem baptismatis extendi usque ad
adimenda Dominis suis mancipia, æternam
ipsorum salutem impedire volentibus.* Id ef-
fatum ita generatim acceptum Catholi-
cam Religionem odiosam redderēt, fal-
sumque ac Scripturæ contrarium foret,
secundum quam baptismus in conditione
hominum nihil mutat, & servi jubentur
obedire dominis suis, qualescunque hi
sint. Verum est, quod in Decretalibus
Gregorii IX. duo dentur capitula, quæ in-
hibent, ne Judæi Christiana habeant man-
cipia: quid autem, quod primum præci-
piat, ut eorum pretium dominis solvatur?

1. Tim. VI.

2. 2.

1. Cor. VII.

20.

1. Pet. II. 18.

c. 1. & 2. de

Jud. &

Sar.

Porro Gregorius Friderico antecesso-
rum ipsius exempla ob oculos ponit, ad-
jungens: *Constantinus, ut neminem latet, u-
niversæ terræ imperans, consentiente Senatu
& omni populo ornamenta Imperii Urbem
ac provinciam Romanam, quas profusis pecu-
niis concitare adversum nos conaris, Papa
donavit, & Italiam ejus arbitrio relinquens,
in Græcia novam sibi sedem elegit. Unde
in Carolum Magnum & in Germanos Impe-
rium postea Papa transfudit, neutiquam dimi-
nuens substantiam sive jurisdictionis ac pot-
estatis*

estatis in Imperatores, quibus, dum coronantur, gladium Ecclesia tradit. Hæc te convincunt, quod Summi Pontificis juri, fideique ac honori tuo deroges, non agnoscendo illum, cui dignitatem tuam debes. Quæ ratiocinatio concluderet, si facta, quibus in- nititur, a veritate non abluderent.

Interea Imperator factis in Lombardia progressibus Veronam adortus, Vicentiam mense Novembri ejusdem anni 1236 captam ex parte succendit. Sed com- perta Ducis Austriæ seditione, in Germaniam redire cogebatur. Ante abitum suum Papam, ut Lombardiæ res componeret, orari curavit. Qui duos illuc Legatos novos misit Raynaldum Episcopum Ostiensem, ac Thomam Cardinalem Presbyterum, ad S. Sabinam, ut patet ex il- lius epistola Legatorum commendatitia ad Lombardiæ Præsules 29 Novembris data. Imperator in Germaniam reversus Austriæ Duce devicto, & propriis terris exuto, hyemem Viennæ transegit.

Sæcul. XIII.
A. C. 1236.

*Godefr.
Mon. an.
1236.
Riccard.
S. Germ.
cod. p. 1026.
Vita Greg.*

*ap. Rain.
1236. n. 13.
Matth. Par.
p. 366.*

§. LXII.

B. Jordani mors.

Hoc anno 1236. die Pentecostes 18 Maji B. Jordanus Parisiis FF. Præ- dicatorum comitia habuit, quæ secunda erant admodum generalia. Tum Palæ- stinam petiit, loca sancta, & sui Ordinis

*Bern. Guid.
ap. Boll. 13.
Febr. to. 4.
p. 723.*

R 2 hac

Sæcul. XIII. hac in provincia monasteria obiturus,
 A.C. 1237. Sed in navi ad maritimas oras Galilææ
 furentis pelagi æstu obrutus una cum
 duobus Ordinis sui fratribus multisque
 hominibus aliis interiit. Qui hoc e nau-
 fragio salvi evaserant, affirmarunt postea,
 priusquam mortuorum corpora terræ
 mandata essent, super ea singulis noctibus
 e coelo lumina descendisse, ac odorem sua-
 vissimum fuisse perceptum. Jordanum
 & duos ejus socios eodem primum loco
 humatos dein Fratres Prædicatorum Pto-
 lemaide per lembum advecti suam in
 Ecclesiam transtulerunt. Sic vitam
 B. Jordanus finiit 13 Febr. an. 1236, scilicet
 an. 1237 ante Pascha.

Multi miracula per ejus intercessio-
 nem facta, multa ejusdem dicta insignia
 referuntur. Quodam die Imperatorem
 Fridericum adiit; & postquam diu in si-
 lentio una sederant, *Domine*, ajebat, *ex*
officio meo varias peragro provincias: hinc
miror, te abs me non quærerere, quid fama se-
rat? Habeo, reposuit ille, *habeo nuncios*
meos in omnibus aulis, cunctisque provinciis,
Et quid rerum in orbe agatur, scio. At
Jordanus: Christus tanquam Deus nove-
rat omnia; discipulos tamen suos, quid de se
diceretur, interrogavit. Tu non nisi homo
es, ac multos de te rumores nescis, quos no-
visse tua plurimum referret. Diceris au-
tem Ecclesias opprimere, censuras Eccle-
sias

Boll. p. 732.
Vita PP.
p. 54.

fasticas spernere, divinationibus habere fidem, Judæis & Saracenis nimium favere, Papam JESU Christi Vicarium non honorare. Profecto hæc omnia te digna non sunt. Talis erat correctio, quam Imperatori adhibuit.

Sæcul. XIII.
A.C. 1237.

Aliquando homo profanus sic eum alloquebatur: *Magister! unde fit, ut nunquam inter nos dicamus, ab origine Fratrum tuorum Minorumque aërem non tam clementem, ac terram non tam fertilem, ut prius, esse? Ad ea Jordanus: Negare id possem, & contrarium tibi ostendere. At esto, quod ais! demonstro æquum esse. Nam ex quo in orbem venimus, informavimus eum, ac multa ei peccata deteximus, quæ ignorabat, nec tamen vitare vult. Hæc vero peccata post sui cognitionem admissa graviora sunt: hinc Deus majores illi plagas, ut sterilitatem, immittit. Et nisi vos emendetis modo, dum, quid faciendum vobis fugiendumque sit, nescitis, etiam pejora experiemini.*

Cum in quodam Cisterciensis Ordinis monasterio esset, monachi eum circumstantes, *Magister, inquiebant, quomodo persistere poterit Ordo tuus sola stipe vitans? Nunc quidem magna est hominum erga tuos beneficentia: sed, ut scriptum esse scis, refrigescet charitas. Respondit*

*Matth. 24.
12.*

suavissime: Vestris ex verbis planum faciam, vestrum Ordinem prius quam no-

R 3

strum

Sæcul. XIII. A.C. 1237. *strum esse desitutum. Ut Evangelium prædicat, charitas refrigescet eodem tempore, quo iniquitas abundabit, & intolerandæ vexationes orientur. Prævidetis autem facile, vexatores vobis bona temporalia adempturos esse; cumque non soleatis petendæ stipis gratia diversa adire loca, fame pereundum vobis erit. E contrario nostri Fratres tunc dispersi fructus majores colligent, ut Apostoli per insectationem separati. Ibunt bini ex more suo, & victum quærent. Plus dico: Qui vos expilaverint, illis ultro largientur: prout crebram per experientiam scimus, grassatores cum gaudio nobis partem prædæ suæ daturus esse, si accipere vellemus.*

Act. 8. 4

Interrogatus, cur artifices potius, quam Theologi ac Jurisperiti Prædicatorum Ordinem ingrederentur, ita respondit: *Rustici bibere aquam soliti, siquando generosum potant vinum, facilius ebrii sunt, quam nobiles & cives huic assueti. Opifices per totam hebdomadam aquam Aristotelis cæterorumque philosophorum hauriunt: itaque dum Dominico aut Feslo die Oratori sacro aures præbent, ac verba Christi ejusque servorum excipiunt, haud ægre capiuntur: Theologi vero, qui ejusmodi sermones sæpe audierunt, similes auditivo sunt, ac prætereundæ sic assueti, ut eam non salutet amplius.*

Cum

Cum Congregationi Episcoporum in-
 teresset, quærebant, qua ratione fieret, Sæcul. XIII.
 A. C. 1237.
 ut Episcopi e duobus tam perfectis Præ-

dicatorum & Minorum Ordinibus evoca-
 ti hoc munus haud bene gererent? *De-*
betis, aiebat, hujus rei causam e vobis ipsis
exquirere, quia hæc pietatis remissio in illis
non accidit, nisi postquam vestrum ad ordi-
nem transferunt: nam quamdiu in nostro e-
rant, eos probe correximus. Præterea diu
in Ordine sum; nec tamen, quantum memini,
Papa, vel Præsul, aut Collegium Cathedra-
le a me vel ab alio Superiore unquam virum
egregium in Episcopum petiit. Elegerunt
ipsi, quos volebant, aut propensione in eorum
cognatos, aut alia parum spiritali ratione
ducti. Alias dicebat: Nil mirum, quod
Fratres nostri in Episcopatu minus bene quam
alii Religiosi se gerant: recedunt longius a
professione sua, quæ vetat, nequid vel com-
muniter possideant. Aliquando illo præ-
sente sermo erat de insigni Ordinis viro,
isque debere fieri Episcopus dicebatur.
At ille, mallem, inquiebat, eum in feretro,
quam sacro in folio videre.

Jordanus brevem initiorum Ordinis
 sui relationem nobis reliquit, quæ est o-
 ptimum, quod habemus, archetypum de
 S. Dominico & primis ejus discipulis a-
 gens. Ad finem hujus scripti memorat,
 qua occasione in Ordine post Completo-
 rium cantari jussa fuerit antiphona *Salve*

R 4

Regina.

MS.

Sæcul. XIII. *Regina.* In cœnobio Bononiensi erat frater, Bernardus nomine, qui peccata sua præterita expiandi causa quandam singularem a Deo pœnam poposcit, cumque de hac multum deliberasset, consensit denique, ut a dæmone obsideretur; id quod reapse factum. Hæc autem fratris Bernardi afflictio prima occasio fuit *Salve Regina* in Bononiensi Monasterio canendi; unde hic mos in totam provinciam Lombardicam, & procedente tempore in univèrsam Ordinem dimanavit. Scriptor Vitæ Gregorii IX. dicit, hunc Papam præcepisse, ut die Veneris post absolutum totum Officium antiphona illa cantaretur; & hoc refert inter ea, quæ Papa an. 1238 egit: hinc inferri potest, eum Fratrum Prædicatorum exemplo hunc sanctissimæ Virginis cultum instituisse.

Vita
S. Rayno.
7. Jan.
Boll. to. I.
p. 411.

Beatus Jordanus Ordini suo pene sedecim annos præfuit. Ut successor eligeretur, Bononiæ Comitia celebrabantur. Cum suffragia dispersa essent, indictæ sunt preces ad sepulchrum S. Dominici, quibus peractis ad negotium suum reverfi Patres una omnes voce Raymundum Pegasusortium quanquam absentem cooptarunt. Vehementer is primum resistit: sed Deum sic velle per præcipuos Ordinis Patres Bononia Barcinonem delatos edoctus paruit; neque tamen ultra biennium munus obiit.

§. LXIII.

§. LXII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1237.*Episcopatus Majoricæ ac Maroci.*

Sub id tempus, quo Raymundus Generalis Fratrum Prædicatorum Magister electus est, a Papa mandatum accepit, ut conjuncta cum Episcopis Vicensi ac Ilerdensi opera Majoricæ Episcopum constitueret. Anno 1230, ut vidimus, Jacobus Arragoniæ Rex adempta Mauris insula Balearium majore Papam oraverat, ut inibi Ecclesiam Cathedralē erigeret; & tunc quidem ille voti damnatus non fuerat. Sed tandem Papa consensit per *lib. XI. ep. litteras an. 1237. 9. Julii* datas, quibus *159. ap. Rain. 1237. n. 27.* duos Præfules ac Raymundum jubet huic Ecclesiæ dignum Pastorem dare, quem soli sanctæ Sedi obnoxium fore dicit. Præcipit quoque Episcopis, ut eum consecrent, vocato simul legitimo Episcoporum numero, sed e provincia Tarraconensi. Progressu temporis Episcopus Majoricæ Archiepiscopo Valentino subiectus fuit, velut etiamnum est. Primus erat Bernardus Abbas ad S. Felicem Guixalæ.

*Sup. §. I.**Joan. Damet. hist. Balcar. lib. 2*

Etiam Maroco Africæ urbi, medios inter ethnicos grandem Christianorum numerum continenti Episcopum Papa dedit, & quidem fratrem Agnellum Ordinis Minorum, sapientem hominem ac litteratum, quem sua consecravit manu, ut testatur in litteris 12 Jun. an. 1237. datis. *Marca Hisp. p. 525. XI. ep. 173. Rain. n. 28. v. Vading. 1246. n. 9.*

R 5

§. LXIV.

Sæcul.XIII.
A.C.1237.

§. XLIV.

*Alexander Papæ Legatus in
Sardinia.*

*Rain. 1237.
n.16.17.&c.*

Anno præterito Alexander, qui Papæ a facello fuerat, tanquam ejus Legatus Sardiniam & Corsicam petierat, ut ibi disciplinam Ecclesiasticam, & profana Ecclesiæ Romanæ jura tueretur. Asservantur Romæ acta publica, e quibus apparet, Ubaldum Galluræ ac Turrium in Sardinia Principem (Judex vocabatur) impulsu conjugis suæ Adelasiæ has terras & alias quasdam sibi ab Ecclesia Romana jure fiduciario collatas agnovisse. Reperitur similis declaratio Petri Arboreæ Domini 28 Apr. 1237 data; & per aliam Ecclesiæ Romanæ promittit annuam mille centum aureorum Byzantinorum pensionem. In Corsica magna Clericorum corruptio erat, & ipsimet Episcopi perniciofa illis exempla præbebant: quibus malis remedia adhibere Alexander est jussus.



HISTO.